758DC
8

I. N. J.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MICTIONE CRUENTA,

Qvam

Autoritate, & Conſenſu Gratioſiſſimi Medicorum Collegii in Alma Philyrea

Sub PRÆSIDIO

*VIRI Ampliſſ. Excellentiſſ. atq; Experientiſſ.*

**DN. PAULI AMMANNI,**

Phil. & Medic. D. Botanic. Prof. Publ. & Anatom. Extraordinar. Facult. Med. Aſſeſſ. Collegii B. Virginis Mariæ Collegiati, ac vice-Præpoſiti,

*Dn. Patroni, ac Promotoris ætatem devenerandi*

**PRO LICENTIA**

Summos honores, & Privilegia Doctoralia conſeqvendi

*Publicæ, & placidæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit*

**M. JACOBUS Wolf/ Med. Bacc.**

*ad d. XXII. Auguſt. Ann.* M. DC. LXXIII.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ,
Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

75860

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

I. N. J.

# PROOEMIUM.

NOn defuerunt cauſæ, qvæ me impulerunt, ut hunc affectum de *mictione cruenta* Eruditorum cenſuræ ſubmittendum eligerem. Duobus enim abhinc circiter annis Vir qviſpiam Nobiliſſimus, atqve Conſultiſſimus, illô affectu tentatus, varia colligebat de portentoſo hoc, & minùs freqventi malo, judicia, qvibus & ego tunc temporis tenuem meam addebam ſententiam. Diſſentiebant circa dicti affectûs veram cauſam, aut partem affectam non vulgares Medici, qvod fortè inde factum, qvia ſigna ſufficientia ipſis non erant cognita, propter abſentiam à locis diſſitis ortam. Imò præſentes Medici unanimem ſententiam vel ſuffragium de cauſa, loco affecto, vel modo ipſius mictus, non depromebant. Unde ſcrutandi deſideriô percitus, caſum iſtum practicum integrum ventilare priùs mecum conſtitueram; circa qvod verò tandem mutavi mentem, atqve generalem tractationem de dicto morbo, properô niſu ſumſi ad manus, cùm ob nonnulla obſtacula tractationem de alia materia curioſa pro hoc *Inaugurali exercitio* non valuerim ſiſtere. Eqvidem ſi venerandi ex Coo Senis monito (*lib. de arte*) adſtricti eſſemus, non deberemus ſtudia, vel contemplationes affectibus rarioribus tribuere; verùm, licet rarius accidat hicce noſter affectus, non tamen fruſtra tribuemus ejusdem indagationi ſpeculationes: Cum hi & ſimiles morbi periculoſi eò magis attonitos reddant medicam praxin exercentes, qvò infreqventiùs accidunt, aut à Practicis traduntur, atqve exponuntur. Non itaq; nobis vitio vertet Lector Benevolus, qvòd vires noſtras bonâ intentione in hoc morbo experiri ſimus conati. Bonum igitur à Bonis ſperamus atqve expectamus judicium de theſibus hiſce tenuibus, iisdem humanitatem atqve officia reciproca, omni tempore promtiſſima promittentes.

# TRACTATIO IPSA.

§. 1.

FAcilè qvivis mentem noſtram aſſeqvetur, qvid indigitemus hoc affectu, qvi *mictus*, vel *mictio cruenta* in Scholis Medicorum dicitur. *Mictio* audit propterea, qvia per meatum urinarum aut urethram fit excretio excrementitiæ materiæ vel lotii, cui juxta dicti affectûs appoſitum nomen cruor ſæpiùs, vel ſangvis limpidior admixtus apparet.

§. 2. Vocatur ille morbus à qvibusdam ſpeciali partis mittentis ſignificatione Αἱμοῤῥαγία τῶν νεφρῶν. *Hippocrati* verò familiare eſt ſignificare hunc affectum per οὐρεῖν αἷμα, οὔρησιν αἵματος, ἢ αἱματώδη. Germani exprimunt voces has modô ſeqventi: Der blutigte Harn oder Harnfluß/ Blutharnung/ blutigter Urin.

§. 3. Nolumus eſſe prolixi in variis derivationibus nominum vel Synonymorum coacervatione (dum lotium vel urina ſangvinea, ſangvinolenta, cruenta, hæmorrhagia per penem, urina loturæ carnis ſimilis, vel æmulans illam dici ſolet) qvæ L. B. hæcce non ignorantem à gravioribus morari poſſint.

§. 4. Pergimus rectô pede ad realem hujus *mictûs* definitionem, vel ſi mavis, deſcriptionem: *Eſt itaq; mictio cruenta urinæ cum ſangvine permixto excretio, præter communem naturæ ductum facta per urinarias vias, vel ex ſangvinis vitio, renibus dilatatis, vel horum vaſis dilaceratis, aut aliis partibus ſimiliter affectis, qvæ ad urethram ſangvinem mittunt.*

§. 5. Dicimus *excretionem ſangvinis* cum *urina* permixtam, qvia hoc modô dijudicare poſſumus hanc invaletudinem ab aliis hæmorrhagiis ex confinibus partibus, ex utero ſcilicet in mulieribus oriundis. Sangvinem pronunciamus porrò admixtum urinæ, non alium colorem ex aſſumtis inductum, de qvo prolixiùs ſumus inter ſigna inferiùs acturi. Atq; dum vias ordinarias hujus excretionis poſuimus, à dicto mictu etiam ſeparamus per alia loca factas excretiones ſive purioris, ſive cruentæ urinæ, de qvo videatur *Sennert. pr. l. 3. p. 8. ſ. 2. c. 10. p. 893.*

§. 6. Placuit itidem nobis explicare *lotium cruentum* per excretionem præter communem naturæ curſum factam: Qvamvis enim natura qvandoqve videatur ad iſtas vias urinarias amandare unà cum

urina

urina ſangvinem, idq; locô aliarum evacuationum ſangvinis qvibusdam familiarium; imò licet cum euphoria qvandoqve accidat aliis, qvi minùs aliàs perpeſſi fuere excretionem iſtam; Inordinatam tamen concludimus illam mictionem eſſe, ex inductione ab aliis hominibus petita, utpote qvi iſtâ deſtituuntur. Prætereà multa mala ſæpius portendit mictus ille, atqve conſilia vel curas freqventiùs eludit, qvia non patet aditus facilis ad compeſcendam illius mali originem, adeò ut præter naturam fieri iterum debeamus ſtatuere hancce mictionem. Sed de hac materia inferiùs plura occurrent, ubi de criticis evacuationibus, aliàs non taxandis, agemus, qvæ ſæpe in tragicum degenerat exitum, ſi ſcilicet limites ſuos tranſiliant.

§. 7. *Locum affectum* atqve *cauſam proximam* hujus infirmitatis fecimus *renes* vel plus juſto dilatatos, vel *vaſa læſa* illorum, circa pelvim potiſſimum; qvemadmodum etiam reliqvæ partes ad urethram ſangvinem mittentes corroſæ accuſandæ ſunt, cujus corroſionis cauſas inferiùs itidem inveſtigabimus.

§. 8. Receſſimus pauliſper in noſtra definitione ab aliorum autorum verbis, qvi *mictum cruentum* volunt eſſe ſangvinis unà cum urina excretionem, ob ejusdem in veſica congeſtionem exortam. Aſt qvia non ſemper in veſica jam ſangvis proſtat cum urina emittendus, ſed qvandoqve in urethra demum tingitur ex ſangvine ibidem accedente, (ſicut exempla paulò poſt ſuppeditabimus) placuit nobis aliô modô affectum noſtrum circumſcribere.

§ 9. Notum eſt qvod *mictio* aliàs excretionem urinæ denotet, hinc à mictione excludere mavult *Hollerius (comment. ad ſect. 4. Aph. 78. p. 446.)* eruptionem puri ſinceriqve ſangvinis; qvod ſine urina nulloq; voluntatis arbitriô ex rupta, aperta vel exeſa vena, fiat. Sed occurrit etiam mictio involuntaria; labitur ſangvis iſte per meatum urinarium; imò ſangvis, ſi in penis meatu demum excluditur, urinam ſæpè habet admixtam, (præcipuè ubi excretionem hanc urget neceſſitas) ideoqve non benè à mictionis appellatione eliminare valebimus ſangvinis purioris excretionem. Accedit inſuper hoc, qvod in plurimis non reqvirat ſangvinis hic fluxus aliam curationem, qvam urina cruenta, niſi qvòd loci accuratam cognitionem atqve conditionem ad topicorum applicationem expetat. Interea, ne præter neceſſitatem multiplicemus hos fluxus, ſub unica appellatione ſcilicet *mictionis cruentæ* ambos complectemur.

 §. 10. An-

§. 10. Anſam porrò nobis pro definitione noſtra ſtabilienda dedit ſangvis vitioſus, qvi ad orgaſmon adactus, attenuatus, vel aliô modo diſpoſitus qvandoqve cum urina per renes ruit, de qvibus omnibus inferiùs planiùs atqve pleniùs agemus.

§. 11. Seqvuntur *loca affecta* vel ſangvinem mittentia, unà cum ſuis cauſis proximis, qvæ ſignis ſeqventibus innuere nititur *Hippocrates*, dum in *ſect.4. Aph.78.* inqvit: *qvi ſpontè ſangvinem mejunt, iis à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur.* Cauſam gemellam ferè de *loco affecto* pronuntiat *Galenus 4. Art. 40.* qvi, dicit, *ſangvinem vel ichorem mingunt, ob renum debilitatem id accidit.* Qvalem verò denotet ſangvinem ichor, conſulatur inter alios *Hoffmannus in Inſtit. med. l.2. c.144.* Pergit *Hippocrates* in citatæ *ſect. Aph.80. Si qvis ſangvinem aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, & dolor ad imum ventrem ac interfemineum incidat, ea qvæ circa veſicam ſunt laborant: qvi tenor etiam eſt ſect.7. Aph.39. Et in dictæ ſect. 4. Aph. 81.* Dictator noſter loqvitur ita: *Si qvis ſangvinem aut pus, aut ſqvamulas mejat, & gravis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.* De hiſce aphoriſmis & ſignis, qvibus *Hippocrates* ſuperſtruit locorum affectorum indagationem, nobis non licet inqvirere prolixiùs in hac tractatione, ideoqve adeat commentatores, qvi accuratiorem expetit cognitionem. Annectimus ſolùm his, qvòd multi velint hanc fundatoris noſtræ medicinæ enumerationem affectorum locorum eſſe inſufficientem, cùm etiam iisdem minus læſis, *mictio cruenta* vel purulenta non rarò fuerit obſervata; qvæ inter cauſas paulò inferiùs attingemus pluribus. Interim tamen tanqvam cauſæ proximæ ſeſe habent *renes* & dictæ cæteræ partes generali nomine in definitione noſtra poſitæ; cùm eædem ſangvini vel ſaniei concedant tranſitum, licet aliis in partibus extra renes, vel illa dicta loca ſit corrupta vel collecta materia, veluti exempla & teſtimonia brevi adducenda, illud declarabunt.

§. 12. De reliqvis partibus propinqvioribus affectis, & ad urethram mittentibus ſangvinem, vel de ipſa *urethra læſa*, teſtantur hæc: Propter penis venulas eroſas, ex ſeroſorum humorum acrimoniâ ſenem qvempiam minxiſſe ſangvinem obſervavit *Bartholinus in Cent.4. obſ.45. p.330.* cui addatur ab eodem citatus *Horſtius*. De ſimili mictu ab exulceratione meatus urinarii vid. *Timæus l.3. caſ.42. p.181.*

§. 13. Porrò *teſtes* & alias partes ſpermati dicatas ſangvinem effundere poſſe in *urethram*, innumera ferè teſtimonia comprobant.

Qvem-

Qvemadmodum de hoc evolvi poſſunt qvi de Gonorrhæa virulenta, vel lue venerea ſcripſerunt. Teſtimonium etiam hujus vide in *Bartholini l.a.p.331.* De ſangvinis mictu poſt Gonorrhæam & uſum thermarum *Schenck.obſ.l.3. fol.537.* qvod ipſum de locis affectis etiam planum facient exempla inferius tradenda.

§. 14. Idem judicandum de *Sphinctere veſicæ*, vel aliis partibus adjacentibus, ſcilicet fiſtula urinaria &c. qvarum partium venulæ à calculo vel aliis rebus lacerari poſſunt, unde poſtea ſangvis redditur. Sic de mictione cruenta cum inſigni dolore circa veſicam vid. *VVolffg. cent.3.fol.67.* De mictu ſangvinis & urinæ difficultate inducta chirurgi errore, qvi cathetere collum veſicæ exulcerans inflammationem & febrem continuam provocavit, agit *Schenck.l.3.f.537.* de eadem mictione ex tuberculo in veſicæ collo rupto, ab uſu acidularum ex *Horſt.vid. Hœfer. Herc. Med.l.3.c.4. p.m. 171. & 172.* De urina ſangvinea ex contuſione vaſorum veſicæ vid. allegata *ex Hildano apud Mœbium in fundam.med. c.18.p.453.*

§. 15. Majori induſtriâ nunc ſpeculabimur cauſas hujus mictûs, qvarum potiſſimam conjiciunt autores in renes variô modô corruptos. Audiamus *Archigenem* apud *Aëtium Tetr. 3. ſerm. 3. c. 3.* qvi tres urinæ cruentæ cauſas memorat, videlicet *renum imbecillitatem* in ætatis vigore, præſertim juvenibus, qvi licentiùs rebus venereis utuntur; deinde *venæ rupturam*, deniqve ejusdem *eroſionem. Bartholinus* l. a. dicit *Dodonæum (c.32.med.obſ.in ſchol.)* octo numerare hujus affectûs cauſas, qvæ pleræqve ad jam dictas referantur. Placent etiam mihi verba cauſas fluxuum indicantia *Petri à Caſtro in Imbr. aur. cent. 6. Aph. 2.* rediguntur, inqvit, omnes internæ cauſæ fluxionis ad has: *multitudinem, acrimoniam, malam qvalitatem, tenuitatem ſuccorum, & retentricis imbecillitatem.* De qvibus, & aliis adhuc omiſſis in ſeqventibus cauſis, remotis externis, per exempla agemus.

§. 16. Accuſant itaqve in obſervatis qvibusdam mictionis cruentæ exemplis *venas in renibus ruptas Foreſt.l.24.obſ.8.p.450.& obſ.11. item obſ. 12. p.452.* qvæ confirmabunt alia paulò poſt enumeranda in cauſa à caſu, motu, aut contuſione dependente.

§. 17. Varia verò proſtant in corpore, qvæ dictas partes corrodere, rumpere, vel dilatare valent, inter qvæ plurimorum conſenſu & experientiâ, *calculus* ducit chorum, adeò, ut multi hoc abſente mictionem cruentam etiam non adeſſe credant. De modo verò, qvô calculus

culus partes laceret, operoſiùs non ſcrutabimur, cùm aſperitas ipſius facilè nos doceat colligere effectum, præcipuè ſi motus vel alliſio intercedat. Interea de mictione cruenta ex calculo renum *vid. Matth. de Gradib. Conſil. 67. fol. 60. Scholtz. Conſil. 151. f. 423. Plater. l. 3. fol. 785. etc. Anton. Cermiſon. Conſil. 10. fol. 34. & alii.* Idem meretur dici de *veſicæ calculo*, qvamvis in hoc non adeò copioſa ſangvinis effuſio dicatur obſervari, qvàm qvidem ex ruptis renum vaſis, de qvo inter ſigna reperiemus plura, qvatenus ſcilicet loca diſtingvenda ſunt affecta juxta hæc & alia indicia. Signum verò *mictionis cruentæ* à calculo oriundæ potiſſimum deſumitur ex carnificina circa renes, vel veſicam obſervata. Ubi non poſſum non illud regerere ex *Hollerii Comment. ad ſ. 4. Aph. 75.* hic qvippe in renibus mulieris (qvæ pus & ſangvinem priùs minxerat) obſervavit atqve reperit poſt mortem pus illud in corde ortum fuiſſe, atqve reliqvis partibus omnibus integris & illæſis, ſuô ſolùm tranſitu renibus dolorem inflixiſſe.

§. 18. Ecqvis inficiabitur etiam *vermes* in renibus aut veſica latitantes, vaſa rodere & conſeqventer ſangvinis mictui anſam dare poſſe? Reperies aliàs in plurimis corporis partibus vermes obſervatos, hiſtoriis medicis id atteſtantibus, de qvo præter alios, brevitatis amandæ cauſa reticendos, videantur *Moronus in director: medic. p. m. 269. Matthæi centur. difficult. med. qvæſt. 36. Miſcellan. curioſ. Academ. nat. curioſ. anno 1. obſ. 13. p. 56.* Novum etiam & inauditum non eſt, varias partes ſæpe corroſiſſe vermes, qvemadmodum ii qvi de coli, ventris vel aliarum partium doloribus ſcripſerunt, conſuli poſſunt: cui placet, inter alios evolvat de roſione ejusmodi *Baricelli hort. genial. p. 324.* De *veſicæ* verò *vermibus vid. Timæus l. 3. caſ. 38. p. 174. & Jonſton. Thaumatograph. p. 450.* ac paulò ante citati autores. De *renum* item *vermibus* proſtant obſervationes *ap. Ruyſch. obſ. anat. 9. p. 54. & obſ. 11. p. 55. Schenck. obſerv. med. l. 3. fol. 509.* De *mictione cruenta* ob caſum, ubi ſimul obſervata fuit lumbricorum convolutorum dejectio *vid. Plater. obſ. l. 3. f. 790.* Et qvamvis ex dicta obſervatione non ſtatim colligam, vel in veſica vel renibus iſtos hæſiſſe, non tamen â culpâ plane vacare poſſe vermes arbitror, ſi eorum pullities in locis dictis adſit; qvod eò citiùs præſumendum, ſi pus promanans ulcera veſicæ vel renum adeſſe commonſtret. De vermibus itidem poſt renum dolorem excretis *vid. Sennert. Prax. l. 3. part. 7. ſ. 1. c. 7. p. 816. & ſect. 2. c. 9. p. 891. &c.*

§. 19. Suc-

§. 19. Succedunt his *flatus*, qvos in venis ſæpè obſervatos eſſe conſtat, de qvo *Schenck. l.3. fol. 459.* elegans obſervatio, & caſus practicus, de *anemia ſangvinis* in muliere & partu ipſius Lugduni Batavorum annotatus, & conſcriptus in diſſertatione anno *1663. d. 22. Maji* ibidem à *Chriſtophoro Beckero* habita proſtat. *Flatus* ſæpe etiam ineſſe urinæ (juxta notam *ſect. 7. Aph. 34.*) qvi mentiantur aliqvando calculum, crudelisſimis excitatis doloribus, ſtatuit *Hoffmannus Inſtit. l. 4. c.13. §.4.* Benè de hac *urina flatulenta*, item de ſpongioſo ſedimento, qvid ſit, & qvomodo flatus venas aperiant, diſſerit *Duretus ap. Hollerium de morb. intern. l.1. c.52. pag.440.* Idem qvòd ſcilicet flatus parati ſint dirumpere vaſa & commovere fluxiones, atqve ideò hæmoptolycam pasſionem & phthiſin facere qveant aſtruit *Hippocr. l.6. Epid. text.13. & 11.* Citatus Hipp. l. a. text. 10. uſum leguminum flatuoſorum maximè lædere *priapiſmô* aut *gonorrhæa* laborantes teſtatur. Notum etiam eſt qvod *bulbi* (qvi plurimum ſunt flatulenti) inter venerem excitantia numerentur juxta *Martialem*, *Columellam*, & alios. Imò flatibus obnoxii eſſe ex *Hippocratis* ſententia dicuntur proni in venerem: Hinc ex memoratis cauſis faciliùs deinde ſubſeqvi poteſt mictio cruenta, præcipuè ſi ardentius lucta venerea exerceatur. De *mictu* verò *cruento* ex allii commeſtione obſervatio proſtat apud *Matth. de Grad. Pract. part.2. c. 17. p. 404. & Schenck. obſ. med. fol.536.*

§. 20. Solvunt item *renum unitatem* exanthemata, variolæ & ulcera, qvaqvâ etiam cauſâ ſint renibus, vel aliis partibus proximè in noſtro morbo affectis, facta. Sic de *mictione cruenta* ex variolis *Hochſtett. Caſ.7. fol. 88.* De eadem in variolato puero & puella duodecim annorum idem *obſ. dec. 1. Caſ.7. p.88. & Caſ. 9. p.91.* Exemplum ejusdem mictionis obſervavit qvoqve in puero ante aliqvot annos hîc Lipſiæ *Celeberrimus Reineſius.* Mictionis cruentæ ex renum ulcere facit mentionem *Vittich. conſil.51. fol 362.* De eadem mictione ex variolis malignis, qvô morbo multos extinctos eſſe *Haffniæ anno 1654. meminit Bartholinus cent.4. hiſt. 45. p 331. & in hiſt 50. p 340.* Addatur etiam ibidem cit. *Salmuth. cent. 2. obſ. 70.* Alia exempla obſervata de iis, qvos exanthematibus affectos, non ſine vitæ periculo invaſit mictio cruenta vid. in *Reiſnero ad probat. urinar. Jodoci VVillich. in ſcol. c. 28. p.219. Hochſtet. l.c. Caſ.8. p.89. & Varand. in pathol. univerſ. p.108.*

§. 21. Non minùs etiam accuſandus eſt ſangvis vel ſerum qvantitate aut qvalitate peccans, qvatenus vel unitatis ſolutionem, vel vaſorum

laxitatem promovet. Laxitas renum verò faciliùs ſperanda eſt in bibulis, dum ſcilicet illorum facultas retentrix vel legitima renum diſpoſitio ex continuo ſeri affluxu vitiatur, vaſa eluuntur, ac dilatantur. Eò citiùs etiam hoc malum evenit, ſi potus generoſus fuerit aſſumtus, qvemadmodum inferiùs de cauſa remota ex potu trademus. Si placet de renum & aliarum partium laxitate, qvòd ſangvinis fluxus cauſentur vid. *Duretus ap. Holler. de morb. intern. l. 1. c. 52. p. 440.* Eſſe verò *ſolùm laxitatem renum* in aliqva mictione cruenta accuſandam, colligimus ex eo, qvia nullius calculi vel alius violentæ cauſæ adſunt indicia, dolor ſcilicet & alia ejusmodi, qvæ antea attigimus, aut adhuc inferiùs perluſtrabimus. *Laxitatem dictam interdum ſolùm peccare, diſpaleſcit* inter alia ex hoc, qvòd etiam in reliqvis partibus nulla moleſtia vel acerbitas obſervetur; concomitans ſignum illius mictus poteſt eſſe, ſi non impetuoſô fluxu per urethram volvatur urina, ſiqve hæc diutiùs tincta maneat, nec ſangvis parcè contentus in urina facile fundum petat, aut urinæ interrumpatur exitus è veſica, vel ſtranguria excitetur, qvæ ſymptomata alias meri ſangvinis fluxus producit. Habemus inter teſtantium innumerum numerum, de laxitate hac accuſata conſentientem nobis *Avicennam l. 3. Fen. 18. tr. 2. c. 11. 12. & 13.* qvi ſimul de ſignis & cura hujus affectus plurimùm non temnenda tradit. Mictionis ejusmodi absqve dolore facit mentionem *Horſt. l. 4. Conſ. 37. fol. 279.* Alius mictionis absqve calculi notis obſervatæ mentionem etiam facit *Smetius miſcel. med. p. 573.* Ob eandem laxitatem & illam ſecutam arbitror *ap. Bartholinum* (*cent. 4. hiſt. 45. p. 329.*) annotatam, licet aliqvantò poſt illius mictionis ortum calculi ſint excreti, qvos potius demum ex diſpoſitâ materia credo in veſica natos.

§. 22. Atqve huic laxitati & inſeqventi mictui maſculè inſervit tenuis, vel alio modô corruptus ſcorbuticorum ſangvis, qvemadmodum pro hoc obſervationes atqve teſtimonia militant. Videantur de eadem ſcorbuti conditione *Dravvitzius* vom Scharbock *p. 355. Sennert. de ſcorbuto c. 17. p. 301.* Fecimus mentionem Scorbuti, qvòd cauſetur qvandoqve mictionem iſtam; ubi recurrimus ad *calculum*, qvi hoc locô non ſemper venit accuſandus, licet ſabulum qvandoqve vel lapillus lentis magnitudinem æqvans fuerit protruſus vel ante vel poſt mictionem. Propugnatores noſtros brevi in arenam producemus, arenam iſtam à calculi culpa abſolventes. Notum eſt aliàs qvàm mirificè imò miſerè ſæpè ludat ægrotos pariter atqve medentes (unde *Verzaſcha*

*zaſcha in River. contract. l.6. c. 12. p. 419.* exclamat: *Eheu! qvantum eſt, qvod neſcimus medici*) Scorbutus πολύμορφος; taceo varias humorum alterationes variis doloribus ac ſtupendis ſymptomatibus ſeſe manifeſtantes in ſcorbuticis affectibus, qvalia ſpectacula non rarò in ſcenam producit dictus morbus. Imò ſæpe iſtos affectus incantamentis inductos, ſed falsò, putatos eſſe, teſtimoniis & exemplis non paucis poſſem colluſtrare, niſi commodior optanda foret occaſio. Jam ſolùm de Scorbuticorum urinæ varietate, de qva inter alios *Riverius prax. in capp. de ſcorbuto* legi maximè meretur. Præcipuè verò in *prax. tom. 2. l. 12. c. 6. p. m. 110. &c.* Sic de urinis in ſcorbuto variis & cur tales ſint? agit *Evgalenus de ſcorb. p. 32. & 33.* Sed de his paulò poſt inter ſigna, plura. Qvòd verò non portendat ſtatim calculum farina (*contra Hippocr. ſ. 4. Aph. 79. & contra Petr. a Caſtr. l. c. p. 265. §. 26.* ubi inqvit: arenulæ, qvæ ex calculo veſicæ deciduntur, eſſe ſolent albæ, qvæ verò ex renibus ruffæ, aut ſubrubræ) dicta atqve tincta, & qvæ inſimul eſt facilè friabilis, aut tartareæ materiæ, ab acrioribus ſcilicet humoribus oriunda, qvæ urinam poſtmodum qvoad colorem, fluxum faciliorem & majorem vaſorum dilatationem exaltet atqve augeat, & id in ſcorbuto præcipuè accidat, apparet abundè ex laudati *Riverii praxi tom. 2. l. 12. c. 5. p. 90. cap. 6. p. 110. lib. 14. cap. 4. p. 195. & Obſerv. 13. centur. 2. pag. 110.* Satisfacient etiam tibi exceptiones annotatæ non paucæ, atqve diſſentire te jubebunt *cum Hippocrate (ſect. 4. Aph. 79.)* ſcilicet qvòd non ſemper calculô veſicæ laborent, qvibus in urina ſubſident ſabuloſa, ap. *Frider. Laurentium in Exercitat. ad minus abſolute veros Hippocr. Aphoriſmos part. 1. Exercit. 3. p. 19. &c. p. 40. &c. & Rolfinc. meth. med. ſpec. p. 805.* De ejusmodi mictione cruenta citra calculum orta à ſcorbuti malitia, in qva ſimul ſabulum fuit obſervatum, doctè agit *River. Cent. 2. obſ. 13.* evolvatur etiam ibidem allegatus *Horſtius obſ. 41. l. 4.* ſimilem planè caſum obſervavi in viro qvopiam conſultiſſimo, in qvo tamen hæmorrhoides ſuppreſſæ in mictionem cruentam mutatæ fuernnt obſervatæ. Qvid mirum itaqve, ſi verſipellis ſcorbutus inter alios ſuos fœtus etiam illud excludat malum; cùm ſangvis hac labe affectorum aut excrementitii humores ſæpe magnam vim corroſivam apertè oſtendant.

§. 23. De linteis, qvæ ſangvis in ea immiſſus corroſit, videatur *Sennert. de Conſ. & diſſ. Chym. c. 16.* Taceo alios, qvi actu ſalia ineſſe ſangvini ſtatuunt, & experimentis ſatis firmis iſtud oſtendunt, qvemadmo-

dum etiam moderni doctrinam ſalium excolentes, & qvi de ſcorbuto agunt, conſuli poſſunt de hac materia. Sangvinem itaqve hoc modô comparatum, facile colligimus partes perforare, aperire, & rodere poſſe; veluti ſangvis etiam ideò magis extenuatus, exeundi majorem licentiam atqve impulſum nanciſci valet. Atqve de his cauſis in ſangvine latentibus jam nobis latiſſimus pateret differendi campus, ſi *Paracelſi* aſſeclas de ſalſis, nitroſis, æruginoſis, tartareis, borraceis, aut ſimilibus humoribus peccantibus & in ſangvine multiplicatis, conſulere vellemus.

§. 24. Juxta hos etiam modernæ ſectæ Propugnatores in *alkali* & *acidi* doctrina occupati, forſitan non ſegnes de cauſis illis reddendis exiſterent, qvomodo ſcilicet iſtis ſalibus ſangvinis effluentia promoveretur. Poſſet fortè etiam celeberrimus *Sylvius* ſuô triumvirali humore nobis ſuppeditare cauſas non abſurdas; aut *Helmontius* & alii; Verùm cum nondum forſitan ultimam manum adhibitam expertæ ſint hæ hypotheſes, atqve ſic ſibi non omnis in difficultatibus theoreticis atqve practicis poſſit ex iſtis ſatisfacere, intactas illas potiùs ſino, felices ſucceſſus iisdem interea apprecans. Cautè itaqve qvivis tyro artis medicæ, & praxin aggrediens, mercetur oportet, ne imbutus aut immerſus hiſce opinionibus experientiam per mortes faciat, & præceps ruat in errores non facilè excuſandos. Non etiam patiatur ſibi facilè qvis animum addere, aut occœcare ſe *ſect. 2. Aphoriſmum 52.* Multas enim exceptiones contra eundem aphoriſmum objiciunt conſcientia, experientia, ratio, poſteriores cogitationes, & minùs taxanda autoritas, qvæ generali inqviſitione ventilare mihi jam non eſt liberum. Qvamvis & ille canon ſua inconcuſsâ perſiſtat baſi, ſi non ratio à ſenſibus vel aliis adminiculis ſpecioſis fallatur. Sed redeo ad has cauſas, ſangvinem immutantes vel corrumpentes, brevibus explicandas.

§. 25. Non diffiteor itaqve qvin *acidum* poſſit peccare, uti & *volatile* vel *fixius* qvid *lixivioſum* dictum in ſangvine, & qvidem diſtinctis vicibus. Utinam propter hanc doctrinam ſalium confusè à ſuis autoribus inductam, *Zvvelfferus* alius reſurgeret, tunc forte meliora de eadem nobis polliceremur; ſed meliora interea ſperamus, neſcientes qvid ſerus veſper vehat! Puto autem ab *acido* iſto excedente, & qvoqvô modo aucto, dolores majores ac roſiones pericoloſiores oriri, unde

etiam

etiam ulcera faciliùs ſeqvi poſſunt: *lixivioſa* verò vel *volatilis* materia majorem penetrandi & ſangvinem fluxilem reddendi vim habet, qvare non ita congrumatum efficit ſangvinem. Atqve ad hæc duo capita inter alia reſpiciemus inferius in curatione. Iſtam autem cauſam *acidam* in noſtro affectu qvandoqve peccantem accuſamus propterea, qvia in *ſtranguria* ſæpe acida fuit obſervata urina, de qvo inter alios *vid. Græf. de ſucco pancreat. p 18. §.180. & p. 81. §. 186.* Deinde annotavit *ardorem, mictioni cruentæ* adjunctum *Montanus conſil. 284. f. 692.* Sic de urinæ ardore & ſtranguria in mictione purulenta agit *Plater. obſ. l. 3. p. 756. &c.*

§. 26. Seqvitur nunc ſangvis qvantitate peccans, ſcilicet in *plethora*, qvæ ex cibo potuqve benè nutriente ſuum ducit ortum, præcipuè ſi pro voluptate ſumantur & ab iis, qvi bonâ pollent facultate cibos ſubigendi, ac in ſangvinem vertendi. Licet qvipiam naturæ magis conſentaneum hunc mictum cruentum exiſtiment, nobis tamen qvadantenus ſub eundem cenſum practicum cadit, tam hic qvàm alius, qvia æqvè per talia fit loca, qvæ non facilè admittunt curationem, ſi invaluerit ejus fluxus. Imò licet cum euphoria credatur mictio futura, ſtipulatu tamen firmô abſente, tutius tractabimus eundem mictum manu medicâ, per alias ſcilicet vias iſtam materiam abundantem derivantes, cùm & criticæ evacuationes non ſemper ſint boni eventus, præcipuè in ejusmodi locis periculoſis, *de qvo vid. Bauſch. de Hæmat. p. 80.* Audiamus, de *Plethora Martinum in anatomia urinæ c. 5. p. 73. Ex plethora,* inqvit, *ſangvinea, venæ diſtenduntur atq; hac vaſorum compreſſione ichoris ſangvinei nonnihil ſimul cum ſero exprimitur ad vias urinarias.* Idem de eodem mictu ſtatuit, qvòd ab humorum copia in plethora accidat, *Mœbius fundam. med. Phyſiol. c. 17. p. 421. & 422. & c. 18. p. 453. vid. etiam Foreſtus l. 4. obſ. 7. & 9.* Qvi citatus autor plethoram qvoqve in iis, qvibus pes vel manus fuit detruncata, pro cauſa mictionis adducit. Aſſerit idem hoc *Heurn. ad ſect. 4. Aph. 75.* & non pauci alii. De plethora adducemus adhuc verba ex ſingularis prudentiæ medicæ rivo, ſcilicet *Riverio* promanantia, & contenta in ipſius *Prax. med. tom. 2. l. 14. c. 4. p. 194. Qvi,* inqvit, *à plethora inducitur fluxus ſangvinis per urinas, non ſemper morboſus eſt, aut ſymptomaticus, ſed interdum contingit bonis ægri rebus, naturâ opus ſuperfluum per illas vias deponente, ſicut refert Aretæus, nonnullos per qvosdam circuitus ſangvinem mingere, eo-*

*re, eoq; circuitu ceſſante capitis dolorem, oculorum caligines, & vertigines excitari.* De neceſſitate harum evacuationum à natura tentatarum agit etiam *Mœbius l.a. c.17.* Multa alia de hac re proſtant itidem apud *Bauſchium de Hæmatite.* Ludit haud rarò in ejusmodi excretionibus ſangvinis natura mirificè, qvemadmodum per varias corporis partes ſæpè in mulieribus in ſolitô modo expulſa deprehendes menſtrua, de qvo *vid. Moron. direct. med. p. 294. Jonſton. Thavmatogr. p. 460.* Taceo alia exempla excluſi ſangvinis per inſvetas vias in utriusqve ſexus perſonis ab autoribus conſignata, de qvibus evolvatur citat. *Moron. p. 389. & alii plures.*

§. 27. Jam nobis ſolùm de *cruenta mictione* dicendi eſt animus, qvatenus ex aliis hæmorrhagiis ſuppreſſis trahit originem: de mictione ejusmodi obſervata poſt menſium defectum vid. *Braſſavol. in comment. ad Aph. 57. ſect. 4. Stupanus in affect. ren. & veſicæ p. 85.* De eadem poſt lochia & hæmorrhagiam narium ſuppreſſa obſervata legatur *Duretus apud Hollerium de morb. intern. l. 1. c. 52. p. 439.* Eundem mictū ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis annotavit *Fabric. Hildan. cent. 2. obſ. 11. f. 88. & Fogerolæus in ſenum regimine p. 126.* De hiſce & aliis ejusmodi *μεταςάσεως* exemplis legi qvoqve merentur annotata *ap. Bauſch. l. a pag. 18. & 23.* Bonum etiam reperies judicaſſe *Hippocratem* ſi ſuperveniunt circa medium nephriticis hæmorrhoides, de qvo citata videantur apud *Deckerum in not. ad Barbett. prax. medic. c. 8. p. 202.* Porrò de ſubcruenta urina in qvopiam viro orta poſtqvam ſangvis ex gingivis aliàs promanans ſuppreſſus fuit vid. *Dodonæus in obſ. cap. 14. p. 26.* Imò ſæpè fuit obſervatus periodicus mictus, de qvo agunt *Marcell. Donat. hiſt. med. l. 4. c. 29. p. 506. Holler. de morb. int. l. 1. c. 52. p. 547. Salmut. cent. 3. obſ. 47. Schenck. l. 3. fol. 535. & alii.*

§. 28. Præterea reperiemus qvandoqve etiam alias partes affectas & læſas, corruptum ſangvinem, vel pus ad renes naturâ duce, detrudere: qvemadmodum plurimi commentatores excipiunt & ſtatuunt illud *contra ſect. 4. Aph. 75.* Sed arbitror illum Aphoriſmum ſolùm de eo loqvi, qvod fit utplurimùm, cum aliàs etiam partes pus aut ſangvinem mittere poſſe ad renes & urinarios ductus, *Hippocratem* perbenè noſſe, colligam, ex ejusdem ſectionis aphoriſmis aliis, & ſcriptis pluribus *Hippocratis.* Atqve idem hoc judicium eſt de *veſica,* qvam ſuperiùs adducti aphoriſmi in *mictione cruenta* declararunt af-

fectam

fectam ex certis indiciis ab *Hippocrate* traditis. Non licet nobis in præſenti allegare autorum loca & teſtimonia, qvæ de aliis partibus pus aut ſangvinem mittentibus teſtari novimus, ideoqve extremis qvaſi digitis ſolùm attingemus iſta, cum dubium de iisdem non credam alere qvenqvam, qvi hiſtorias vel obſervationes medicas leviter peragravit. Conſtat igitur pus aut ſangvinem, vel utrumqve ſimul ad renes incorruptos amandaſſe cor, thoracem, pulmones, pleuram, fractum crus, epar, (hinc factum ut qvidam *fluxum epaticum* dixerint, & habuerint pro *mictione cruenta*, qvod *Galenum* etiam feciſſe qvidam arbitrantur, de qvo tamen negato vid. *Petr. Sal. Diverſus. annot. in artem med. Altomari c. 93. p. 503. & 504.*) hypochondria, brachium læſum, lienem, uterum & partes alias. Imò in venis ipſis ſangvinem contrahere putredinem, eumqve in pus degenerare, qvòd excernatur poſtmodũ per vias iſtas, ſtatuit *Baronius de Pleuripneumonia p. 353.* Nec prolixâ videntur hæc noſtra indigere probatione, qvòd criſis vel abſceſſus fieri poſſit per *mictum cruentum* aut purulentum, qvippe cujus teſtimoniis aut exemplis itidem non deſtituimur. Interea cui placet de hac materia, utrum & qvomodo pus in variis partibus ortum per urinarium ductum excerni poſſit? vid. *Hœfer. Herc. med. l. 2. c. 3. p. m. 122. Caſp. Bartholin. controv. Anatom. p. 572. Matthæi cent. difficult. med. qv. 11. p. 38. Septal. Animadv. med. l. 6. §. 128. & alii.* Imò non videtur impoſſibilis talis modi mictio aliarum partium ſangvinem vel pus oſtendens aut evehens, ſi ad alia corpora craſſiora per os aſſumta & poſtea cum urina excreta reſpicimus, de qvibus hoc in loco nihil amplius!

§. 29. Hæc fuit mentis noſtræ expoſitio circa partes affectas, atqve cauſas internas, easqve propinqviores; opus itaqve eſt ut in cauſas *remotas* illius mali migremus, qvò meliorem ipſius cognitionem nobis comparemus, & curationem deinde faciliùs atqve feliciùs adinveniamus. Inter *remotas* itaqve & qvidem *extrinſecas* cauſas reſtim ducit, *aëris calida diſpoſitio*, qvæ uti alios humores, ita etiam ſangvinem attenuare & fluidum reddere poteſt, ut deinde facili negotio per renes aut alias vias ſignificatas fluat. De qvo vid. *ſect. 3. Aph. 20.* ubi ver dicitur fluxiones ſangvinis afferre. Hinc medicæ obſervationes plurimæ *ver* inclinans, tanqvam aptum tempus *mictionis cruentæ* accuſant, atq; ideò præſervationis gratia venæ ſectionem arripiendam eſſe cenſent. Calorem verò aliàs augere vel promovere ſangvinis profuſiones do-

ceberis

ceberis ex *ſect.5. Aph.16.& 19.* Benè etiam, qvomodo calor venas laxet, & ſangvinem fundat explicat *Septal. Animadv. med. l.3. p.39.* Eleganter hocce argumentum, qvomodo ſcilicet in æſtate ſalinæ lixivioſæ & volatiles aëris particulæ morbos Epidemicos atq; horum cauſam proximam, ſcilicet ſangvinem attenuatum excitent, *tractat Sylvius in orat. de morb. Epidem.* §.36. *&c.* §. 40. Qvi laudatus *Sylvius* itidem contagii incitamenta ex aëris ſalinis particulis deducit; & qvamvis in eô gloriari poſſit inſignis ille Medicus ſe primum hancce doctrinam, pleniùs tractaſſe, eò tamen inclinat etiam *Pauli* in *παρέκβασ. de febr. p.12. & 52.* §. 40. & alii plures, qvos ob prolixitatem vitandam hîc reticeo. Eadem aëris, atqve hinc corrupti ſangvinis cauſa præſumitur etiam ſubeſſe peſtis cuipiam ſpeciei, veluti teſtimonia de hæmorrhagiis variis & mictione cruenta in peſte obſervata nobis id perſvadent. Videatur *Giſelerus in obſ. med. de peſte Brunſvicenſ. Bartholinus cent. 4. hiſt. anat. 45. p. 331. & alii.* De mictione in puella febre peſtilenti correpta *Plater. in prax.* ſæpè etiam obſervarunt accidiſſe illam mictionem in aliis febribus, qvæ itidem inter alia agnoſcunt aëris adminicula, pro ſuis cauſis exaltandis. Qvemadmodum de ejusmodi *mictu cruento* cum febre obſervato agit *Chriſtoph. Gvarinon. Conſ.3 fol. 167.* De juvene robuſto ſangvineâ febre correpto, qvi ſangvinem cum urina minxit *Amat. Luſit. cent. 2. Cur. 93. p. 233.* De eodem affectu in qvopiam maligna febre laborante vid. *Paduanus in proceſſ. curat. p. 224.*

§. 30. Excipiunt illam cauſam *affectûs animi*, præcipuè ſiniſtri, qvi validam qvoqve cauſam ſubminiſtrant *mictioni cruentæ*; Ex iis enim ebullitio & efferveſcentia ſangvinis oriri, atqve conſeqventer ſangvis cum lotio protrudi poteſt. Nolo enarrandis exemplis aut teſtimoniis inhærere de variis venarum aut arteriarum ruptione conſignatis, qvæ ruptio ſæpè ſine evidenti cauſa tum in corpore, tum extra illud, accidit; qvivis autem colliget id mali eo promtiùs expectatum iri ex affectibus, atqve cauſis inde oriundis cruentis. Varia interea loca de animi affectuum poteſtate, qvam iidem pro ſangvinis & ſpirituum agitatione poſſideant, continentur in *Mollenbroc. medull. prax. cap. 19. p. 228. &c.* Accedimus ad affectuum effectus qvosdam deſignandos: conſtat qvippe ex irâ venam eſſe ruptam, uti patet ex allegatis in *Hœfer. Herc. Med. l.2. c.1. p.91. Camerar. Syllog. memor. cent.10. part. 51.* Sic de palpitatione cordis ex ira *Timæus l. 2. caſ. 16. p. 104.* Imò ipſam mortem, poſt contentiones & ebrietatem ſecutam, eſſe teſtatur autor

cita-

citatus *Reſponſ.Med.36.p.96.* De morte item poſt iram agit *experientiſſimus Velſchius in obſ.Med. Epiſagmat.obſ.35. Camerar.l.a.part.52.Hildan.oper.fol.643. & 958.* Ex qvibus oppidò liqvet, maximas turbas ſangvini conciliare affectûs, atqve ideò interdum in corpore vaſa penitùs rumpi, unde deſubitò hoc modô extincti, falsò apoplexiâ, catarrhô ſuffocativô, aut venenô interemti poſtmodum creduntur, ceu ſectio cadaverum illud qvandoqve detexit, de qvo vid. *Hœfer.l.a.l.1.c.3.p.23.* Impoſſibile itaqve non eſt, qvin dicti affectûs *mictioni cruentæ* manus auxiliares qvandoqve miniſtrent. Qvemadmodum aliqvando in viro qvopiam obſervavimus, in qvo poſt iræ inſultus, hæmorrhoides ſuppreſſas *mictio cruenta* ſecuta eſt, imò qvandoqve ambos iſtos fluxus unô obſervatos eſſe tempore in eodem viro reminiſcimur.

§. 31. Eò citius verò videtur ille mictus metuendus eſſe, qvando corporis motus vehemens accedit ad iratorum actiones, veluti paulò poſt de motu plura teſtimonia occurrent. Jam ſolùm id monemus, ne poſt iræ commotionem ad urinæ expulſionem ſeſe qvis adeò angat, cùm poſſibile ſit ut enixè urinam exprimens, *mictionem cruentam* una promoveat, exemplum de eodem vid. ap. *Smet.miſc. med. pag. 563.* Hinc perpendendam iſtam opinionem vulgò receptam cum ſuis rationibus relinqvo cuiqve, utrum locum ſemper habeat excrementorum, & urinæ potiſſimùm depoſitio, ubi terror vel ira præceſſit. De iſto aſſerto autem vid. *Hœfer.l.a.lib.2. c.1.p.92. & 93.* Atqve anxiam hanc excluſionem urinæ eò citiùs repudiandam cenſeo, cùm medici non vulgares accuſent (tanqvam cauſam ſufficientem *mictionis cruentæ*) freqventem mictum conſvetudine inductum, qvando ſcilicet qvis terminos decentis urinæ excretionis transſcendit, & anticipando lotium crebrius deponit, de qvo ex aliis *Plater.prax.tr.3.p. 825.* Facili vero conſeqventiâ ex iſto mictu continuato lubricum renum ſtatum & ſubſeqventem *urinam cruentam* oriri poſſe præſumimus.

§. 32. Eadem ferme eſt ratio gaudii, vel aliorum affectuum meliorum, in qvibus pariter atqve in illis oppoſitis affectibus exceſſus non nimis convenit, & iis præcipuè, qvi ad hæmorrhagias proni ſunt. De vena ſponte rupta ex amore *Matth.Connax.l.1.Conſ.med.3.Schenck. obſ.l.1.fol.152.* Qva ratione verò gaudium & lætitia Spiritus agitent? vid. *in Mollenbroc. Medull.prax.c.19.p.232.&c.*

§. 33. Fores etiam eò celeriùs aperientur *mictioni cruentæ*, ſi qvis



ve-

enerem unà velit exercere immoderatô auſu. Nihil de iis trademus, qvi gaudiô nimiô qvandoqve mortui eſſe dicuntur; Solùm illud attingemus, qvod ex veneris uſu nimio, & actu iſto ſæpè adhuc durante, homines exſpirarint animam, de qvo vid. *Lic. Garman. de mirac. mort. p. 51. §. 10. & alii.* Multa reperies teſtimonia & exempla de iis conſignata, qvi vel in congreſſu vel poſt eundem, ex pene ſangvinem emiſerunt. An mulier verò illa ex ſeminalibus vaſis vel uteri vagina, lacerata in coitu, emiſerit ſangvinem, cujus meminit *Borellus cent. 4. obſ. 17.* non potui ex ipſius verbis concludere. De qvopiam viro, qvi loco ſeminis emiſit ſangvinem agit *Salmuth. l. 1. obſ. 81.* Hinc cum qvidam viderint ex nimio vel continuato concubitu ſecutam eſſe qvoqve *mictionem cruentam*, contenderunt à ſpermaticis vaſis ad urethram amandari interdum ſangvinem iſtum; Qvemadmodum hujus mictionis ſangvineæ cauſam in duobus adoleſcentibus, immoderatæ commiſſæ veneri tribuit *Mileſius, de qvo vid. Hollerius comment. in ſect. 4. Aph. 78.* & idem *in Scol. prax. ad cop. de ſangv. mictu.* Ob immoderatam venerem, eandem puri ſangvinis mictionem ortam eſſe in duobus adoleſcentibus meminit *Collutius tract. de qverel. nephrit.* ubi conciliationem ſimul reperies illius ſententiæ de ſangvinis hujus ortu, videlicet, qvòd iſte à renibus etiam per vaſa ſpermatica vehi poſſit.

§. 34. Ulterius ſeqvitur *motus violentus, mictionem cruentam* itidem faciens, utpote ex qvo non ſolùm ſangvis agitatur & vehementiùs propellitur ad vaſorum orificia, ſed etiam vaſa fortius qvaſſantur, dilatantur atqve penitùs rumpuntur, uti non pauca exempla illud docent. De mictione ejusmodi ex eqvitatione freqventi vid. *Schenck. obſ. med. l. 3. fol. 536.* De eadem ex levi corporis motu *Horſt. l. 4. obſ. 43. f. 288. Mœbius in fundam. med. c. 17. p. 421. Laurent. part. 1. Exercit. in minus abſolut. ver. Hippocr. Aph. 75. ſect. 4. p. 256. River. obſ. 13. cent. 2. Joh. Matthæus in relat. hiſt. caſ. 4.* Ad motum referendus etiam eſt caſus, qvi inter alia incommoda, etiam lotium ſangvinolentum qvandoqve cauſatur. De qvo *vid. Schenk. l. a. Amat. Luſat. cent. 5. cur. 45. Alexand. Benedict. in prax. l. 22. c. 26. Et Plater. obſ. med. l. 3. p. 790.* qvi poſtremus mentionem facit pueri, cui poſt caſum vel lapſum ſangvis concretus & pus ex naribus, oculis & ductibus urinariis fluxit. Notamus adhuc circa caſum ab alto factum, qvòd non ſemper ſangvinis fluidi vel congrumatii excretio præſupponat renes vel veſicā affectam, cum etiā aliæ remotæ par-

partes iſtam materiam naturæ regimine per renes & urethram amandare qveant, veluti alio in loco hujus diſſertationis oſtendimus. Pertinent etiam huc alii motus, renes tundentes, videlicet ex ſternutatione, vomitu aut ſimilibus actionibus contracti, de qvo inferius in curatione qvadantenus ſumus acturi. Non attingam motum violentum, vel injuriam renibus aut veſicæ cæſim vel punctim illatam, ex qvo continui vel unitatis ſolutionem atqve malum iſtud cruentum adfuturum eſſe, conſectarium eſt. Metuendum etiam eò magis illius mali augmentum eſt, ſi calculus impactus hæreat renibus vel veſicæ, cujus aſperitate, per motum unà admiſſum, profundiùs præcipitantur ægrotantes in dictum morbum, ob vaſorum lacerationem. Malè itaqve videntur ſvadere nonnulli motum iis, qvi calculo qvadantenus grandi, ſunt onerati; obſervabit enim qvisqve, cui curandus hic affectus offertur, qvod vehementiùs tincta urina excreta conſpiciatur poſt motum.

§. 35. Idem ferè de vigiliis dici poteſt, qvamvis in remiſſiori gradu, qvia præſentibus illis, per motum membrorum citius obvium, aut objecta ſenſus moventia, ſangvis fluidior & ad exitum alacrior redditur; qvæ à ſomno non tam facilè expectanda ſunt.

§. 36. Pergimus *ad cibos*, qvi pariter ſuum conferunt ſymbolum in mictione iſta producenda: & ſunt præcipui, qvi bonam nutritionem efficiunt, ſangvinem adaugent, & infarciunt qvaſi vaſa eôdem, ut contineri deinde non poſſit ſine eorum ruptione. Eò citiùs verò *plethora* dicta eſt expectanda, ſi qvi bona facultate cibos digerendi, eosqve in ſuccum & ſangvinem permutādi polleant. De plethora vel aucto ſangvine in vaſis ſangviferis alio in loco tradimus plura, qvomodo abundantiam ſangvinis inſeqvi velint autores mictionem cruentā. Deinde ſi cibi condimentis acribus, aromatibus, ſale & ſimilibus abundent, facilè dictæ mictioni viam ſternere poſſunt. De flatulentorum ciborum noxa hoc loco diffitendum non eſſe arbitror, veluti non longè poſt hæc luculentiùs illud apparebit. Interea ſi volupe eſt, evolvatur *Mœbius fundam. med. c. 17. p. 421.* ubi putat qvempiam ex uſu diu continuato raphani ruſticani, rerumqve nimiùm ſalitarum & acrium, contraxiſſe *mictionem cruentam.*

§. 37. Excipit cibos *potus*, qvi non parum accuſandus eſt in hæmorrhagiis promovendis, præprimis verò cereviſia parcè cocta, vel

 recens

recens parata, qvæ propterea facilè aceſcens & fermentationem in corpore excitans non minus *mictionem cruentam*, qvam *ſtranguriam* (idqve magis in diſpoſitis) promovere valet.

§. 38. Non eſt ſilentio prætereundum *vinum*, qvod inter alias hæmorrhagias *ſangvineum mictum* accelerat; Sangvinis verò effluvia excitari à vino multiplex Autorum teſtimonium confirmat, ex multis cionſulatur ſolùm *Foreſtus l.13. obſ.12.* Neſcio an olim fabulâ hâc ſeqventi mutuum qvempiam reſpectum inter ſangvinem & vinum indigitârnt, dum vinum ex ſangvine Gigantum dixerunt ortum, de qvo *Urſinus in analect. ſacr. p. 229.* Imò miranda eſt actio, ſi vera ſcilicet amici cujusdam relatio, qvod obſervatum fuerit, funera trucidatorum hominum emiſiſſe ſangvinem, ſi præſentes fuerint, qvi vinum biberint, aut manus eôdem laverint. Hinc de vino hæmorrhagiis excitandis apto rectè videtur ſtatuere *Dioſcorides*, qvod ante vel poſt balnea ſumtum veneni inſtar eſſe ſoleat, *ob formidoloſas easdem hæmorrhagias* augmentum ſumturas. Atqve iſtud facilè conſenſum noſtrum ſibi devincit, ſi ſangvinis ebullitionem in balneo calido contractam, & auctu poſſibilem ex vino ingeſto penſi habeamus; Ex qvibus ſimul liqvet, qvid de balneis calidis vel pro curatione *mictionis cruentæ*, vel uſu aliàs conſveto ſententiendum, ſi vereamur hæmorrhagias. Addendum hîc duco illud *Hœferi* (*l. a. lib. 7. c. 5. p. 337.*) monitum, dum interdicit puerperis aromatibus & vinô primis diebus; periculis iſtis ibidem recenſitis ex uſu dictorū futuris, ſangvinis fluxus facilè metuendos etiam annectendos eſſe ſuſpicor. De vino in hæmorrhagiis minùs tutè uſurpando agit *Timæus l. 1. caſ. 34. p. 65. &c.* Cauſatur idem Hæmoptyſin juxta aut. cit. *l. 2. caſ. 15. p. 103.* De vomitu ſangvineo ex Hiſpanico vino contracto idem *l. 3. caſ. 6. p. 116.* Qvam mirè verò vexentur hæmorrhagiis, qvi aliàs iisdem ſunt obnoxii, ſi leviter ſe adimpleant vino in conviviis vel nuptiis, & exerceant ſaltationes, experimur non raro; ſicuti etiam mulierculæ id ipſum, ſuô exemplô non infreqventer teſtantur. Sed *mictionem cruentam* à vino ortam, vel auctam invenies non ſemel in obſervationibus medicis, de qvo *Bartholin. cent. 4. hiſt. anat. 45. p. 328. & 330. Hieron. Reuſner. Schol. ad c. 22. in Jodoci VVillichii de probat. urinar.* De febricitante ex nimia crapula, qvi evaſit mictu ſangvinis, agit *Zacut. Luſ. prax. med. adm. l. 2. obſ. 69. p. 189.* Obſervavit qvoqve in Viro hydropico ex aſſidua ebrietate iſtum morbum *Henr.*

ab

*ab Heer.obſ.rar.17.* Imò mictionem iſtam promoveri ex uſu vini non obſcurè concludemus ex *ſect.7. Aph.48.* Citiùs verò moleſtam iſtam mictionem concitabunt vina medicata: Sic de *Abſinthiaco vino*, qvòd mictum cruentum produxerit, vid. allegata ap. *Bauſchium de Hæmatit. p. 22. & 26.* Obſervavi & ego ex eodem potu ſimilem *urinam* in Viro qvopiam conſultiſſimo *gliſcere*, qvæ ſopita antea per dies aliqvot videbatur. Atqve cùm non rarò præſupponenda ſit renum inflammatio, vel aliarum partium in mictione iſta, fugiendum qvoqve erit vinum, cùm juxta *Septalium* (*in animadv. med. l. 2. §. 59.* in inflammationibus noceat. Multò magis etiam nocebit vinum jejunô ſtomachô hauſtum.

§. 39. In eandem claſſem ſangvinem moventium referenda ſunt omnia *aromata*, qvæ acri, volatili & penetrante ſapore prædita ſunt, uti jam ante hoc innuimus. Hinc inter medicamenta oppoſita ſangvinis fluxui cuicunqve parcè vel planè non recipienda eſſe talismodi penetrantia ſentio; qvamobrem rectè qvoqve videtur rejicere cinnamomum ad ſiſtendos mulierum fluxus à qvibusdam præſcriptum *Primeroſius de vulg. error. l. 4. c. 43.*

§. 40. Non fruſtra etiam monebimus circa *moſchum*, qvòd eum fugere in *mictione cruenta* æqve ac in aliis hæmorrhagiis deceat medicum; ſi experientia de eodem comprobat illud annotatum apud *Fallop. tom. 2. c. 23. & Hœfer. l.c. lib. 2. c. 3. p. 124.*

§. 41. Annotarunt autores qvoqve alia, qvorum uſus qvandoqve viſus fuit hæmorrhagias varias & peculiariter *urinam cruentam* promoviſſe, unde ſvadent ne iſta facilè in dictis affectibus uſurpentur. De moſcho anteà dicto, *Iride florentinâ* & *hyſſopi coma*, qvòd ſangvinem moveant, vel alliciant, ſi extrinſecus admoveantur corpori vid. *Petræus noſol. diſſert. 12. qvæſt. 6. p. 235.* Mentio fit *herbæ hæmagogæ* apud *Galenum* (*l. 4. de ſimpl. purgant. facult.*) qvæ caſu reperta ſangvinem è toto corpore eduxerit. *Adde Borell. l. 4. obſ. 91.* Sed illud *Galeni* inter fabuloſæ antiqvitatis reponit particulas *Petræus noſolog. diſſertat. 12. qvæſt. 5. p. 235.*

§. 42. *Mictionem ſangvinis* & alia mala efficere *cornu ſpicæ* aſſumtum adſtruit *Rattray theatr. ſympath. p. 13.* Eſt etiam *Fiſcheri* (*in corp. med. imperial. l. 3. p. 193.*) monitum, ne *ammoniaco Gummi* ſæpiùs utamur, cùm ſangvini per urinarios ductus exitum paret. Sed uti varii morbi

 qvan-

qvandoqve ex rebus vilibus, & qvibus neutiqvam effectus ejusmodi tribuiſſes, dicuntur & putantur ſublati: Ita caſu ſæpe fit, ut morbi natura nos latens coincidentes effectus oſtendat, qvi, velint nolint medicamentis aut aliis admiſſis rebus & adminiculis asſcribuntur.

§. 43. Hic forſitan & hoc inter monſtra ab Experientia depromta referas de *Laudano*: *Hoffmannus* qvippe (*de medicam. officin. lib. 2. c. 169. §. 15.*) in colico dolore exhibuit gr. II. in ſyrupo de chamæmelo, unde ſe nihil lucri præter *mictionem cruentam* expertum eſſe affirmat. Primò hîc noto, vix à *Laudano opiato* & exigua qvidem hâc qvantitate ducendum eſſe effectum, qvamvis ſententiæ variorum autorum de eodem ſuffragia mereantur, qvòd venerem ſtimulet juxta *Garmannum* (*de mirac. mortuorũ l. 1. p. 109. §. 17. Doring. de opio c. 3. p. 82.*) ſudorem moveat juxta *Grubium* (*de ſimpl. med. cognit. p. 146.*) & juxta *VValæum meth. med. p. 65. Doring. l. a. c. 4. p. 85.* Calidum aliàs etiam creditur *opium* propter amaritudinem, de qvo & exceptionibus contra ſententiam hanc vid. *Caſmannus in phyſ. l. 1. part. 1. p. 535. Doring. l. d. cap. 6. p. 18. &c.* Alios effectus plures hoc loco taceo, qvi analogiam qvampiam qvaſi ſuppeditant, qvòd *opium* ſangvinem attenuet & ad expulſionem componat, de qvo, qvi de *opio* ſcripſerunt, conſulantur. Non tamen inductionem ex aliis ſimilibus provocatis hæmorrhagiis fortè qvis obſervaverit, qvæ *opium* ejusdem efficaciæ fuiſſe atteſtetur; Cùm ex plurimorum Medicorum ſententia *opium* vim fluxus ſedandi poſſideat. Taceo alios inſignes uſus *opii* à multis deprædicatos in medicina, unde etiam illud Chymicus non vulgaris, langventium ſuffragium vocat, & in hæc inter alia prorumpit verba: *Qvare, qvicunqve ſit medicus, qvi hujus cognitione caret, omnem rudentem moveat, ut illud in tempore aſſeqvatur, & pœnam neglecti Deo & proximo debiti officii cautè declinet.* Sed, ſi licet redire ad *opii* vim hæmagogam apparentem, *Borellus cent. 4. obſ. 57.* narrat qvempiam pro ſomno inducendo poſt venæ ſectionem ſumſiſſe doſin duplicem *Laudani*; ſed eundem ob effluxum ſangvinis è vena factum noctu mortuum eſſe. Qvis verò non jactationi corporis atqve inde ortæ apertioni deligatæ venæ potiùs, qvàm opio vendicet effecta dicta? Hinc, qvamvis aliàs ſomnus poſt V. S. admitti poſſit, juxta *Primeroſ.* (*de vulg. error. l. 4. c. 23.*) & *Hœferum* (*l. c. lib 3. c. 5. p. 195.*) benè tamen iidem in arte concitatis hæmorrhagiis dictis, & mulieres ſtatim à partu ſomnum non admittunt, ne inadvertenter extremus effluat ſangvis juxta ſalubre monitum *Hœferi l. a. lib. 7. c. 5. p. 336.* Non

au-

autem opinabimur *moſcho*, qvi in qvapiam opii præparatione locum habet, iſtos effectus aſſignandos eſſe, qvamvis pro alia atqve alia compoſitione adhibita etiam ipſius efficacia variare poſſit. De *Laudani* aliàs laude & opportunâ ipſius ope in fluxu ſangvinis compeſcendo vid. *laudatus Hœferus l. 3. c. 5. p. 194. Helmontius* applicuit vulneri *opium*, ex qvo ſedatus dicitur fluxus. Idem commendat *Heurnius*, contra Hæmorrhagias, ſi cum ſemine hyoſcyami porrigatur. *Helid. Paduanus* itidem cum conſerva violarum & pauco ſemine hyoſcyami contra hæmoptyſin tanqvam egregium deprædicat medicamentum. De narcoticorum uſu commendato in ardente mictione & ulcere renum vid. *Plater. part. 3. p. 862.* Duplici autem ratione opium in hæmorrhagiis prodeſſe videtur, qvatenus ſcilicet illud ſomnum evacuationibus tantùm non omnibus proficuum, atqve ſedatum ſtatum efferorum humorum, ex ſententia plurimorum medicorum promittit.

§. 44. Poſſemus etiam contra alia medicamenta adſtringentia & fluxibus variis aliàs oppoſita non pauca proferre, qvæ aſſumta contrarius planè effectus fuit ſecutus: Sic notum eſt cortices granatorum mirificè adſtringere, & propterea in variis fluxibus commendari, de qvo *Reineſ. var. lect. p. 627.* Volunt tamen eosdem etiam movere menſes, de qvo obſervationes vide in *Bartholin. cent. 4. hiſt. 39.* De dictorum corticum granatorum ſimili effectu & operandi ratione videatur *Tackenius in Hippocr. Chym. p. 127. Svvalve de Alkali & acido p. 137.* Valeremus etiam nonnulla de martialibus addere, qvæ aliàs dicuntur adſtringere; interea qvomodo iſta moveant menſes vid. *citat. Tacken. l. a. p. 248.* Atqve ſic, uti ſubinnuimus jam, obſervamus qvandoqve monſtra in morbis (juxta loqvendi formulam *Averrois l. 7. collect. c. 2.*) fieri, & varias regularum exceptiones obſervari; qvibus docemur confidentiam atqve ſcientiam noſtram non ſemper ſatis firmo inniti fundamento.

§. 45. Videntur etiam purgantia non omni culpa vacua eſſe, præcipuè ſi crebriùs vocentur in uſum, aut acria vel fortia nimis ſint. *Aloë* plurimis medicis in ſangvinis fluxu vario malè audit, uti paulò poſt experiemur. *Manardus* verò in *lib. 12. Epiſt. med. 3. p. 321.* dicit, *nullum idoneum medicum de Aloë vim menſtrua movendi tradidiſſe*, & in tota Epiſtola citata, errore inductam hanc opinionem, falſumqve

eſſe,

eſſe, allaborat probare; qvin imò aſſignat eidem potiùs vim contrariam, ſcil. ſiſtendi vim ſalubrem in ſangvinis excretionibus. Caſu itaqve arbitratur fieri, ſi hæmorrhoides ſeqvantur, qvod familiaris aloës uſus ſit plurimis, ex qvo putetur oriri hæmorrhoidum fluxus. Pergit Manardus ibidem: *Novi*, inqviens, *ego virum, qvi ex potu Rhei Barbarici, qvo frequenter utitur, idem ſe pati*, (ſcil. reſerata ora venarum ani) *affirmat, qvod alii dicunt ex aloë futurum: qvùm tamen nemo adhuc, qvod norim, tale Rheo Barb. adſcripſerit maleficium.* Porrò, dicit ille, *non deſunt, qvi ſcripſerunt à polypodio ſangvinem per urinam elici, ſimili & ipſi, ut arbitror, argumentô decepti, qvod ſcilicet epotô polypodiô ſymptoma illud nonnullis acciderit.* De eadem materia agit etiam citatus Manardus in notis *ad Meſuen. p. 329. &c.* Verùm moderni Medici majorem nobis faciunt fidem, ut manus demus in his vimqve hæmagogam minùs derogemus iſtis: Suſpectum autem, uti ſemper, ita præcipuè in rerum affectibus, menſibus, & ſimilibus morbis eſt uſus *Rhabarbari Septalio in Animadv. l. 7. §. 116 &c. & 144. lib. 6. §. 157.* Circa qvæ ſubnecto, ſcilicet me ignorare, an non *Septalius* propter Rhabarbari uſum omnem in aliis morbis rejectum, peccet! De *aloe* plurimorum eſt conſenſus, qvòd fluxus ſangvinis promoveat, de qvo vid. *Giſelerus in obſ. 7. de peſte in præfat, Rattray in Theatr. Sympath. p. 13.* De *aloë* an ora venarum aperiat vid. *Sennert. Paralip. p. 71. & 73.* Aſſerit etiam illud *Septalius l. a. lib. 6. §. 156.* Eadem eſt mens Italorum dicentium, ex centum hominibus *Aloëticis pilulis* utentibus nonaginta ferè hæmorrhoidibus laborare. Iſthoc ſtatuentibus addatur etiam *Sylvius in prax. med. l. 1. c. 33. §. 111. Horat. Augenius l. 2. de peſte c. 13. VValæus in meth. med. p. 45. & alii.* Sed conciliationem harum opinionum vid. *in Rolfinc. tr. de purgantibus*, & aliis in locis, *Hoffmann. de medic. offic. l. 1. c. 3. §. 12. & 13. Gruling. de tripl. evac. part. 2. p. 172.*

*§.* 46. Hæc fuerunt de Aloë dicta, tanqvam pharmaco mitiori, ecqvid de fortioribus pronunciabimus? tribuit hiſce vim pellendi ſangvinem & aperiendi venas, ſcil. *ſcammoniatis*, atqve ideo in hæmoptyſi illa vetat *Septalius l. a. lib. 6. §. 155.* Et ſi vehementer purgantia urinam movent & menſtruas purgationes, atqve ideò vel abortum faciunt juxta *Valleſ. in Hippocr. l. 5. Epidem. text. 17.* Si etiam ſangvinis vomitus & excretiones promovent *ad l. c. text. 41.* Si porrò purgantia ſangvinem colliqvant calefaciendo, commovendo & exagitando, ſtatuente hoc eôdem *Valleſ. in Epid. l. 5. text. 41.* Qvid mirum ſi purgantia,

præci-

præcipuè verò fortia, cauſentur interdum mictionem cruentam, cùm non ſimplex cauſa ex dictis, vel aliis rationibus promanans, id evincere videatur.

§. 47. Facilè etiam ſubſumemus ex hactenus dictis, qvid de *diureticis* ſtatuendum ſit, ſi qvis fluxibus ſangvineis aliàs laborans, hiſce utatur. In renum morbis verò vel veſicæ multo ſucco repletis non eſſe admittenda diuretica; imò, qvod exulcerent iſta & varia inducant mala, certitudo peti poteſt ex loco citato *Valleſii text. 17.* Conſtat etiam qvod ex mitiorum medicamentorum, ſcilicet *granorum Juniperi* uſu, urina cruenta reddita ſit, id annotante *Piſon. obſerv. 105.* De eadem obſervata poſt *ſpiritus Therebinthinæ* exhibitionem legatur *Hildanus cent. 5. obſerv. 52.* Qvamvis ejusmodi fortia non ab omni culpâ libera eſſe putemus, ſi præcipuè exceſſus in uſu continuato vel doſi accedat, fortè tamen mictio hæc non contigit ex iſtis tanqvam cauſa præcipua, ſed qvatenus nephritidi vel calculo occurrere conati ſunt illis, qvâ ratione medicamenta iſta, dicta vaſa & renes lacerârunt, atqve ita qvoqvô modo cruentam urinam ſimul conſtituerunt.

§. 48. Tribuunt aliàs ſingularem qvoqve vim *hæmorrhoo ſerpenti*, qvod demorſi ab eodem per omnes ferè corporis partes ſangvinem emittant, de qvo videatur *Galen. de theriac. ad Piſonem c. 8.* Forſitan cautela qvoqve circa ſerpentum partium uſum hic locum habet, ſiqvidem pertinacem narium hæmorrhagiam à pulvere oſſium ſerpentis aſſumto, puerum qvendam Helmſtadii invaſiſſe fidem facit *Joh. Heinr.* Brechtfeld *in diſputatione medica de venenis Helmſtadii habita in §. 35.*

§. 49. Singulariter item officere veſicæ, renibus aut ſangvini *cantharides* jubemur credere, cùm plurimi de iisdem inter alia venena agentes, ab earum uſu mictum cruentum dependere ſtatuant. De qvo vid. *Rattray in theatr. ſymp. p. 16. Mollenbrocc. medull. prax. pag. 603. §. 66. &c. Fehr de Scorzonera p. 133. & 161. Marcus Marci phil. vet. reſt. p. 4. ſ. 3. Miſcellan. Acad. nat. curioſ. ann. 1. obſ. 133. p. 296. Garmann. de mirac. mort. l. 1. p. 107. §. 13. Foreſt. l. 24. obſ. 7. p. 448. Grüling. de triplic. evac. part. 3. p. 94. Mœbius l. c. cap. 17. p. 421. Foreſt. l. 24. obſ. 7. p. 448.* De ſtranguria ab iſtis externè applicatis *Timæus l. 2. Epiſt. 5. p. 102.* ex tactu vel olfactu illarum è corpore evacuatum eſſe ſangvinem vid. *Baricellus hort. gen. p. 117.* De cantharidibus ſtranguriam & mictionem

iſtam excitantibus, & qvi negent hoc, vid. *Hœferus l. a. lib. 3. c. 4. p. 177. &c.* Controverſiam etiam de illo effectu vid. apud *Timæum l. a.* Non pauca ſupereſſent de dictis iſtis teſtimonia, ſed ſuperſedemus ampliùs disqvirere, unicum adhuc addentes hoc, qvod ferè ſpecificorum medicamentorum argumentum, vel defenſio, ex dictis peti poſſit.

§. 50. Præterea ex venenis aſſumtis ſcaturiiſſe qvandoqve affectum iſtum teſtantur obſervationes; Videatur inter alios *Paræus l. 20. c. 36.* qvi plura deſiderat exempla, adeat eos, qvi de venenis, aut de judicio venenis interemtorum ſcripſerunt. Idem intelligendum eſt de variis liqvoribus, vel rebus ſiccis cauſticis incautè abſorptis, qvæ plurimum etiam iidem autores in venenorum tractatione attingunt, qvoad ſymptomata & qvoad curationes.

§. 51. Seqvuntur ulteriùs *retenta* inter cauſas *mictionis cruentæ*, qvæ ſi non deponantur juſto tempore, ſylveſtres & noxiæ particulæ cum laudabili chylo per inteſtina trajiciuntur, atq; ad vaſa ſangvifera transvehuntur, ex qvo non poteſt non variorum morborum fomes, atqve conſeqventer etiam, *mictio* iſta excitari vel ſaltem augeri. Forſitan etiam ſangvinem, præter ſuas evacuationes conſvetas, perſiſtentem qvis annumeret retentorum numero; verùm cùm non omnis ſangvis dicto modo excernendus ſit vitioſus, inter retenta abſolutè vitioſa illum minus commodè referemus; niſi eidem inter excrementa utilia dicta locum impertiri, aut ſecundum qvid, excrementitium declarare rorem huncce vividum velimus. Rectiùs verò cauſam devolvemus in transſpirationem inſenſibilem impeditam, vel alias ſeri evacuationes ſuppreſſas, cum ideò qvalitatum ſecundarum auctio accedat ſero, ex qvo deinde facili negotio fermentatio in ſangvine, roſio item, & ruptio vaſorum provehitur.

§. 52. Qvid ſi verò ſimile ſtatuamus contagium etiam excitare poſſe hæmorrhagias, de qvo ſuſpicionem mihi ſuggeſſit relatio miniſtri cujuſpiam pauperis ſcriniarii; qvi ubi in magiſtri ſui lecto vix per duas noctes dormiverat, in prolixam incidit hæmorrhagiam narium ita, ut de viribus & vita deſperaret. Ceſſante verò tandem iſtô fluxu immundis lecti ſtragulis, aut linteo ſubſtrato uxorisqve ipſius menſtrui maculato, cauſam attribuit. An non igitur menſtruatæ mulieres maritos ſecum eodem in lecto concumbentes poſſint inficere, atqve

qve

qve iſtum fluxum ſangvinis inducere, præprimis ſi iidem ſint in hæmorrhagias proni, & exerceant indefeſſi conjugalia debita, mediten-tur curioſi? Nobis non videtur illud impoſſibile, ſi jucundam pariter atqve utilem conſiderationem de fermento menſtruo & contagione in conſilium vocamus.

§. 53. Accingimus jam nos ad *ſigna* hujus mali & locorum affectorum cognitionem, uti & modum, qvô mictio iſta accidit; atqve hæc differentiis conſtituendis & curæ convenienti eligendæ adminicula ſuppeditabunt. Futuri hujus morbi indicia fere ſumi poſſunt ex *ſ.7. Aph.36.* Expectandus etiam eſt citiùs iſte mictus in iis, qvi calculô laborant, qvam validam mictus hujus cauſam ſuperiùs ſumus experti. Præterea ſi aliæ ceſſent evacuationes ſangvinis, & nephriticus ſentiatur dolor, infirmitatis renum & hujus tranſitus imminentis ſangvinis ſuſpicio oritur. Ubi etiam ea in conſilium admittenda ſunt ſigna, qvæ aliàs de renum debilitate creduntur teſtari. Item judicandum de mictu ſecuturo, ſi poſt morbos ſangvinis maſſam infeſtantes, pro criſi futura ſtranguria, nephriticus dolor, aliave indicia circa renes appareant.

§. 54. Præſentis mali indicium eſt, ſi urinæ verus ſangvis ſit permiſtus, verus dico, ne decipi ſe patiatur medicus ab urina tincta ex aſſumtis rebus variis, vel ſalibus in ſero contentis. Qvemadmodum hoc monet, & qvasdam cauſas urinæ rubræ adducit *Hœferus l.c.l.3.c.4. p.171.* Injungunt etiam alii, ut in ſcorbuto probè ad colorem lotii attendamus, cùm iſte ſæpè ad ſangvinis tincturam accedat, ubi tamen neutiqvam ſangvis præſtò eſt. De qvo legi merentur *Riverius in prax. tom.2.l.12.c.6.p.m.112. Dravvitz* vom Scharbock *p.357. & alii.* De colore ſubrubro urinæ an à bile, an verò à ſangvine oriatur differentem vide *Sennert.Inſtit.maj.p.571.& 578.&c.* De urina cruenta putata, qvæ potiùs habendũ fuerit vinum rubrum priùs aſſumtum, ac poſtea minus alteratum excretum *vid. apud Hœfer. l. a. pag. 171.* Idem ſtatuit de ceraſorum vino rubro *Bartholinus cent. 4. hiſt. 45. p.328.* Verùm ibidem fortè vera adfuit mictio cruenta, ceu poſtmodum eventus docuit. Præterea de lotio rubrô colore tincto ex uſu fructus indicæ ficus obſervatio legatur *Fidelis de relat.med.p.121.* De eodem ficus effectu, & qvod radix rubia tinctorum aſſumta, vel in manu ſaltem detenta urinam ſimiliter tinctam efficiat, teſtatur *Porta in mag. nat. l. 8.*

 c.13.

*c.13.p.355.* De urina nigra nobis non licet hoc in loco eſſe prolixiores; Itaqve putamus explorandam eſſe ſangvinis præſentiam ſi (non neglecta inqviſitione de vitæ vel diætæ ratione, qvæ præceſſit mictum ſangvineum) linteum album atqve mundatum immiſſum in lotium, poſteaqvam extractum iterum fuit, ſangvineum vel carneum oſtendat colorem. Sine dubio etiam citiùs ad fundum urinalis conſidebit ſangvinis portio, ſi verè ſit iſte admixtus urinæ, qvàm qvidem ſi ex aſſumtis urina mentiatur ſangvineum colorem. Urina verè cruenta aqvæ ſimilis exiſtet, in qva caro recens mactata eſt abluta, & modò magis modò minus tincta, non tamen ſplendida, lucida vel pellucida erit, qvàm ſi tincturam nacta eſt à rebus aliis.

§. 55. Præſuppoſitâ itaqve *urinâ cruentâ*, judicatur iſta à vaſis renum vel ſphinctere veſicæ orta, ſi meracioris ſangvinis copia reddatur per *urethram*; ſi præter voluntatem magis exſiliat; ſi faciliùs etiam præcipitetur ſangvis ad fundum vaſis, in qvo excepta eſt iſta urina; vel ſi in terram decidentes hujus mictus guttulæ promtiùs in grumos abeant. Porrò ſi urina difficulter & non ſine dolore interdum reddatur ob grumos in veſica collectos, eos verò ab affluente ſangvine copioſiore ortos credendum eſt. Ratio inſimul haberi poteſt aliarum præcedentium conditionum vel affectuum veſicæ, renum aut partium genitalium, ex qvibus ſigna depromi poſſunt, pro vera cauſa vel loco affecto hujus mictus determinando; de qvo majoris evidentiæ gratia, accerſenda monita practicorum ex capitibus de renum debilitate, intemperie, vulneribus, laxitate, inflammatione, ulcere, calculo, vel aliarum partium morbis mictui cruento ſubſervientibus.

§. 56. Illa paulò ante recenſita ſigna non ita locum invenient in *mictione cruenta*, qvæ ortum debet dilatatis renibus, utpote à qvâ cauſa dolor non ita erit præſtò in renibus, ſangvis ex adverſo intimiùs erit admixtus urinæ, color etiam diutius in eodem perſiſtet, nec ita ſubitò prorumpet ex urethra ſangvis, aut fundum petet adeò magna copiâ coagulatæ materiæ ſangvineæ. Sic pus etiam de loci affecti conditione teſtabitur; qvæ verò loca ſint læſa, dolore ſe prodent. Forſitan pro cauſis hiſce dolorificis meliùs explorandis ac definiendis facit doctrina *Sylvii*, qvam de colici vel ſimilium dolorum natura accuratè communicat vid: citatus autor *in prax. med, c.14*. Benè enim ibidem dolores juxta ſuas cauſas, humores peccantes, rodentes, vel aliô modo comparatos, & partes accuratiore ſenſu præditas, atqve ideò affe-

ctas

ctas diſcernere docet. Cui etiam *Deckerus in notis ad prax Barbett.* ob eandem ſententiam addi poteſt. Sed ne in *Aphor. 75. ad 82 uſq. ſect. 4.* commentarium tradamus, de ſignis locorum affectorum in mictione cruentâ, remittimus Benevolum Lectorem ad eorundem aphoriſmorum elegantes Commentatores præcipuè ad *Hollerium*, *Heurnium* & qvi plures digni illô cenſentur encomiô.

§. 57. Si verò aliæ partes mittant ſangvinem aut pus pro urinæ miſcella, ejus ortus ex partium functionum aliarum læſione, aut ſimilibus indicationibus judicandus eſt. Præſumimus etiam loca remota affecta ex accuratiore mixtura amborum concurrentium humorum ſcil. urinæ & ſangvinis. Imò profluvium illud continuum magis & celeriùs poſtmodum terminatum erit expectandum; cujus me commonefacit natura criſeos vel abſceſſuum. Interea illa ſigna ſufficent, ſepono itaqve ab autoribus tradita alia, cum ſine exceptione vix ſignificent loca affecta, velut qvidem iidem hocce præſtare ſua credunt ſigna annotata.

§. 58. Seqvitur ut etiam tractemus atqve tradamus *prognoſin*, qvæ ratione curæ, plurimum non eſt lætifica: Imo *prognoſis* ſæpè ipſa difficulter colligitur, ſi primitùs appareat illa, qvia de loco affecto vel cauſis non ſemper in initio apparet indicium, præcipuè ſi dolorem nullum ægroti perſentiſcant. Interim ratione peccantis materiæ, verbi gratia ſangvinis corrupti, & attenuati, continuabit fluxus faciliùs, qvàm qvi ex plenitudine ortus eſt: utpote qvi citiùs ceſſabit juxta mentem *Petr. à Caſtro l.a.p.304.§.224.* De *mictu critico* adducemus adhuc ſeqventia *ex Spigelii l.4. de febr. ſemitert. p.145. qvadrageſimo*, inqvit, *die plerumq; in tertiana colicam ſpontè ſolutam vidi per purulentas mictiones, non admodum congruâ obſervatâ victus ratione, præterqvam abſtinentiâ vini.*

§. 59. Solemus etiam ex conditione loci affecti, vel cauſæ gravitate, aut levitate, futurum ſtatum metiri: ſi ſcilicet vulnera profunda adſint renum, veſicæ, teſticulorum, ureterum; aut minus talia. Qvæ omnia exactiùs ventilare prolixitatis vitandæ gratia ſuperſedemus. Interea de vulneribus renum teſticulorum, veſicæ, ureterum ac penis qvalia ſint habenda, videantur, qvi judicia de iisdem annotarunt. Atqve harum partium vulnera plurimum deſperatæ curæ cenſentur, qvemadmodum aliæ cauſæ multæ, præter paulò poſt ſeqventes, reddi poſſent, ſi res probatione indigeret. Meliorem verò nobis ſpem de

renum vulneribus curandis, ſi recentia ſint, facit *Hartmann. in prax. chym. c. 189.*

§. 60. Ratione ætatis, ſenes periculo majori in *mictu cruento* ſunt expoſiti, & curatio illorum eſt difficilior ac longior juxta *ſ. 2. Aph. 39. & ſ. 6. Aph. 6. adde ſ. 3. Aph. 31.* Et idem *Hippocr. 6. Popular. ſect. 8. p. 818.* inqvit: Renum affectiones non vidi ſanatas ſupra qvinqvageſimum annum. Cauſa potiſſima difficilis curationis vel conſolidationis eſt, qvia motus continuus ſeri eſt ad renes, unde æqve hæc vulnera, atqve pulmonum ulcera, juxta medicum non infimæ notæ, immedicabilia utplurimum pronuncio. Cùm verò in eorum ætate declinante facultates plurimæ, & eorum fundamenta, ſcilicet Spiritus & vegetæ vires dilabantur, atqve ſcorbuti pertinacia perſæpè ſeſe huic ætati aſſociet, hinc uti alia, ita & hæc vulnera vel ulcera difficilius ſanari in propatulo eſt. Si porrò ulcera renum ſubſeqvantur, & puris fluxus non ceſſet, facilè qvivis ſubſumet, qvid ſit futurum ob renum conſumtionem metuendam. Sic dextri renis carnem ex propria membrana in veſicam ſeceſſiſſe obſervavit *Hercul. Saxon.*

§. 61. Deinde ratione temporis, diutius præſumitur duratura, qvæ vere accidit, qvàm qvidem qvæ fit frigidioribus anni temporibus, ceu nos inſtruit ferè *Sect. 3. Aph. 20.*

§. 62. Præterea ratione ſymptomatum, periculoſa videtur mictio, cui convulſiones ſuperveniunt, ſicuti de hæmorrhagiis id pronunciat *Hippocr. in Sect. 5. Aph. 3. 56 & Sect 7. Aph. 5.* Commiſeratione etiam dignus eſt ſtatus iſte, ſi urinæ exitus planè inhibeatur aut ſupprimatur. De eodem, & cur mors ſeqvatur, videatur *Sebizius in diſp. 7. de facult. nat. coroll. 4.* Et *Varandæus in affect. renum ac veſic. p. 85.* habet exemplum de *Iſchuria* orta ex vena renum rupta, ubi experientiâ edoctus prognoſin de morte hoc malum facilè exceptura ſubnectit. Exempla alia dictorum incommodorum vid. *ap.* Schorer *medic. peregrinant. p. 53.* Conjectu etiam facilis eſt eventus triſtis, ſi ureteres ex ſangvine congrumato, calculo, ſero vel aliâ cauſa fuerint obſtructi aut rupti. Notatu digna videntur verba *Dureti* (*in Holler. l. 1. de morb. intern. c. 52. p. 439.*) urinas cruentas, inqvientis, *bullis obſitas, ſtabiles & fixas à frigido oriri, & ſigna intemperiei frigidæ, hepatisq; exhauſti in Hydropicis, atq; ſic actum cum ipſis, & mortem in propinqvo eſſe.* Taceo alia indicia qvæ pravam itidem conditionem mictus deſignant v. g. *alvus adſtricta, pallor corporis, anorexia, ſitis, ſyncope, virum jactura, laſſitudo & ſimilia,* qvæ

etiam

etiam hac ratione non bonum promittunt eventum, qvia malum augebimus per ſpirituoſa, vel humidorum copiam, qvæ indicantia illa ſymptomata ſibi poſcunt.

§. 63. Dehinc ratione modi, ſi mictus cruentus violentô ruat motu, periculo non vacat *ad ſect. 2. Aph. 51.* De mictu verò periodico qvòd melioris ſit conditionis, qvàm continuus *vid. Riverius cent. 2. obſ. 13. Et Hippocr. l. 2. prædict. V. 138. ſangvinem inqvit, mingere raro qvidem & ſine febre ac dolore nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio fit.* Iſte autem fluxus violentus tolerabilior eſt, ſi propter ſangvinis qvantitatem à naturæ regimine promovetur, cùm ea etiam ſine magiſtro didicerit rectè agere: imò digitô qvaſi neceſſariam evacuationem ſangvinis qvandoqve monſtrat & reqvirit, de qva neceſſitate dicta videantur inter alia *ſect. 6. Aph. 10. ſect. 5. Aph. 68. ſect. 4. Aph. 60.* Eo tutius etiam fidimus hæmorrhagiis, ſi non in locis abſtruſis fiant; deterioris verò conditionis ſunt fluxus ſymptomatici & critici, qvi à mala ſangvinis qvalitate oriuntur, vel qvi à violentô motu, caſu, calculo & aliis hujusmodi cauſis oriuntur. Ex his qvippe cauſis non poteſt non ſeqvi continua mictio, malum haud exiguum portendens: etiamſi ſtupenda inaudiamus exempla de incredibili ferè ſangvinis profuſi copia, qvòd malum iſtud ſuperarint ſæpe homines, & convaluerint, feliciter: Inde verò ſpes indubitata vix haurienda, aut de ſalute ægrotis facienda eſt, ob dubium eventum. Cui lubet de diuturno ſangvinis mictu evolvat *Foreſt. l. 4. obſ. 13.* Nec tumidum itaqve nec timidum ſeſe gerat in prognoſi & praxi medicus, ſed mediâ incedat viâ, oportet. Notum qvippe eſt medicum eſſe debere decenter audacem juxta monitum *Hœferi l. c. p. m. 78. & 79.* de qvo fermè loqvitur etiam *ſ. 2. Aph. 27.* Interim in continuo mictu cruento malum vel periculum non abeſſe pronunciandnm eſt; qvid ſi lethalem vel incurabilem nos jubeat qvandoqve declarare iſtum fluxum *ſ. 8. Aph. 6.* Cæterùm de morte qvod inſecuta ſit mictionem cruentam vid. laudatus *Bauſchius de Hæmat. p. 11.* adde etiam *pag. 80.* De mictione ſangvinolenta, qvam repentina ſecuta eſt mors vid. *Hildanus cent. 6. obſerv. 45. p. 556.* & de periculo hæmorrhagiæ ex pene obſervatæ *ibid. obſ. 47. p. 557.*

§. 64. Neqve hoc ſilentiô prætereundum, qvòd mictus cruentus ratione *mutationis*, ſi ſcilicet tranſeat in alias evacuationes per loca tutiora & vaſa minora factas, ſit melioris conditionis. Non enim deſunt exempla & obſervationes, qvæ id nobis perſvadent, videatur *in hanc*

*rem ſect.5. Aph.33.* Præſumitur autem bonus ſtatus iſtius mictionis, ſi in hæmorrhoides mutetur illa, ob rationem hauriendam ex *ſect. 6. Aph. 11.* qvemadmodum etiam ſuperiùs metaſtaſin mutuam horum fluxuum attigimus.

§. 65. Deniqve ratione alius *immutationis*, prognoſis facilè conſtitui poteſt de affectu, in qvem degeneravit mictus cruentus. Notum qvippe eſt, qvod in maciem, cachexiam, hydropem, & ſimiles affectus abeat mictus ſangvinolentus. *Grembſius in arb. integr. & ruin. l.2. c.1. §.7. pag. 228. Calculoſi,* inqvit, *in qvibus mictio ſangvinis per aliqvot annos durat, Hydropici deinde moriuntur.* Varia exempla hydropis, qvod ſcilicet iſte nimias hæmorrhagias plurimum ſeqvatur, vid. inter alios apud *Bauſchium l.c. p.15. &c. & p.81.*

§. 66. Urget inſtituti noſtri ratio, ut ad curationem propiùs accedamus, ideoqve *diætam* præmittemus, cum venienti occurrere malo eâdem ſoleamus, veluti & in curatione ipſa invenit locum. Rerum non naturalium & remotarum cauſarum claſſes ſuperiùs luſtravimus, ad qvas recurrens & reſpiciens medicus facilè ſubſumet, qvid proſit nec nō, qvid lædere poſſit item? Qvare operoſiùs iſta, ob crambes bis coctæ futurum tædium non repetemus, pervolabimus interea, qvæ reſtare arbitramur circa dictam diætam monenda.

§. 67. Atqve ſic affectibus frenum injiciendum eſt, præcipuè verò illis, qvi hanc & alias ſangvinis evacuationes producunt.

§. 68. *Calidus aër* vel loca calefacta vitentur ob rationes inter cauſas remotas ſuperiùs adductas; & ex adverſo frigidiora loca eligantur.

§. 69. *Cibo* & *potui* tantum decidant pro malo futuro avertendo, vel præſente compeſcendo, qvantum vires permittunt, dicteriô iſto ſuffulti: qvod natura paucis ſit contenta. Atqve uti in generali illa regula dicitur, qvod abſtinentiâ & qviete multi morbi curentur; ita inprimis illud hoc in affectu locum invenit. Qvemadmodum etiam ſolâ diætâ curâſſe ægrotos reperies *Aſclepiadem Pruſienſem, de qvo Rod. à caſtro in med. Polit. p. 26. Celſus l.5. c.1. Plinius l. 26. cap.1. & Reineſius Epiſt. 46. pag. 394.* Juxta *Petr. à Caſtro in Imbr. aur. cent.6. Aph.5. p.m. 89.*) Jejunium evacuatio qvædam eſt, & plurimum prodeſt ad fluxiones ſiſtendas, ita, ut nihil magis fluxiones moveat, qvàm cibus & potus. *Et Caſtr. l. a. p.307. §.240. Potus,* inqvit,

qvit, *nimius fluxilem & aqvoſum reddit ſangvinem; parciſſimus, qvo in fluxibus utendum, reddit craſſiorem.*

§. 70. Cibi itaqve fugiendi ſunt tenues, nimis fluidi, fermentationem excitantes, & ſaliti, caro item fumô indurata & ſimilia. Exulent etiam aromata, circa qvæ monet *Joël* (*prax. l. 6. ſect. 1. p. 97. & 98.*) qvòd iſta omnia ſint vitanda, exceptis caryophyllis: rationem puto eſſe, qvòd ſaporetenus adſtringere leviter videantur, ſed nimiam qvantitatem vel uſum illorum continuum eô ipsô non arbitror eſſe conceſſum.

§. 71. Videntur etiam præ dapibus aſſis coctæ potiùs commendandæ: ubi non poſſum intactam opinionem prætermittere, qvam in alaudarum rejicit uſum *Hœferus l. a. lib. 3. c. 4. p. 173.* qvippe ex eo mictum cruentum ſibi eſſe inductum. Verùm arbitror potiùs contractam priùs eſſe plethoram ex cibis bonis, & horum ſocio vini hauſtu, eôqve largiori, ex qvibus poſtea ortum qvoqve illud malum traxit. Hinc ſapidum iſtud ferculum alaudarum non ſimpliciter cupediarum amatoribus ſuſpectum eſſe debet. Sententiam noſtram de vino aſſumto roborat etiam citati autoris confeſſio ipſa *l. c. p. 172.* Circa cujus verba ibidem annotata etiam illud mentionis injicio, qvod fortè non tartarus adeò, ipsô opinante, qvàm verus ſangvis, illius urinam tinxerit.

§. 72. Vitentur porrò *acida* vel *acetum ipſum*, de qvo videatur monitum *Petri Salii Diverſi annotat. in Altomari artem medic. c. 96. pag. 505.* qvi, uti in omnibus internis ulceribus, ita præcipuè in renum exulceratione prohibet acetum, contra dictum Altomarum qvadantenus commendantem ejus uſum. Eandem ferè dicti autoris ſententiam fovet *Dion. Fontan. l. 3. de morb. intern. curat. c. 37.* qvi non vult ut edantur citò aceſcentia in renum ulceribus. In cura etiam vix locum invenient meô judiciô acida, licet à bilioſo ſangvine ſit oriunda mictio cruenta, ſiqvidem haut tanta commoda ab ejus uſu, qvam qvidem mala ex fermentatione aut roſione metuenda, ſperabimus.

§. 73. Obſunt juxta hæc cibi flatulenti & acredine præditi v. g. *Braſſica, cepa, rapa, raphani genera, ſinapi, allium, ſaccharata, cochlearia & ſimilia,* qvorum qvædam aliàs in ſcorbuto, nephritide, aut calculo commendari aſſolent.

§. 74. *Piſces* non admodum commendare audeo, interim ſi qvis angvillam propter glutinoſam vim, aut alios piſces, *ſi ſicciores redditi fuerint elixi*, propter ſolidius futurum nutrimentum, velit qvandoqve

 admit-

admittere, ei non admodum interdicemus modicum illorum uſum. Minùs verò tolerandas eſſe haleces ſale præparatas, qvivis facilè colliget: Sed cancros fluviatiles citiùs forſitan admittere poterimus, qvàm alia non nominata piſcium genera.

§. 75. *Panem* etiam azymum convenire credimus, ne fermentationi, atqve inde oriundæ mictioni cruentæ cauſa major accedat.

§. 76. Hactenus cibos minùs conducibiles vidimus; melioris conditionis creduntur eſſe incraſſantes, qvod item de medicamentis præcipit *Caſtro l. c. pag. 307. §. 239. Qvibus*, inqvit, *per ruptionem extenuatus ſangvis effluit, uti licet victu & medicamentis craſſitiem facientibus, niſi obſtructiones viſcerum manifeſtæ adſint.* Inter iſtos cibos verò commendandos refero *amygdalas dulces, pineas, piſtacias, oryzam, milium, avenam mundatam, pultes ex his paratas, butyrum non ſalitum, pedes animalium, ſcilicet vitulinos, vervecinos, vaccinos, porcinos* &c. Ex hiſce vel C.C. gelatinæ coqvi, & in uſum vocari poſſunt, ſed absqve aceto; cum iisdem, ob rationes paulò poſt dicendas, non ſpernenda efficacia videatur ineſſe. Prævalere item caſtrata animalia arbitror hac in imbecillitate, aliis minùs caſtratis, cujus conditionis prioris etiam ſunt pulli volatilium & qvadrupedum, aut illorum animalium caro, qvæ aſperior & ſiccior eſt, ex feris ſcilicet petita. *Avicenna l.3.fen. 18.tr.2.c.13.* renes animalium à proprietate conducere ſtatuit in renum affectibus à laxitate dependentibus, qvem uſum, licet ob rationem vel efficaciam ex ſimilitudine petitam, non facilè concoqvamus, tamen ut ſuperfluum confidentiæ vulgi non eripimus.

§. 77. Plurimos autores lactis varii uſum commendare deprehendimus: de caprillo & ovillo autorum ſuffragia vid. apud *Timæum l.3. caſ.40.p.178.* Idem *in Epiſt.33. l.3. p.247.* & *River. obſ.13. cent.2.* Lac Camelinum & ovillũ cum adſtringentibus ſingulariter commendatum in laxitate renum vid. *ap. Avicennam l.a.* Qvas lactis vires dictum *Avicennam* ab *Hippocrate* didiciſſe (qvi obſervârit uſum continuum ejusdem in mictione cruenta profuiſſe) docet *Duretus ap. Hollerium de morb. intern. l.1.c.52.p.440.* Lac aſininum ſummè prodeſſe dicit *Heurnius ad Sect. 4. Aph.81.p.310.* Lac chalybeatum affatim vult bibi, ſi à cantharidibus orta ſit mictio cruenta *Plater. Prax. tract. 3.p.869.* Atqve hæc curatio lacte inſtituta ſine dubio per analogiam petita eſt è pulmonum exulceratorum curatione; ubi tamen non pauca, circa ipſius uſum à qvibusdam medicis prohibitum, poſſemus proferre, ſi liceret:

ob

ob nonnulla obſtacula. Sed puto coctum lac, uti in aliis ſimilibus affectibus, ita hoc in morbo præcipue admittendum eſſe, cùm crudum varia corpori contrahere videatur incommoda, veluti rationes & exempla de eodem teſtantur. Hinc fortean non iniqvè contra alios medicos in ſcorbuto lactis uſum qvidam damnant; qvantum enim crudum illud oleosâ ſeu butyrosâ ſuâ ſubſtantiâ opitulatur ægris, tantùm fortè (qvando aceſcit in ventriculo) corruptum nocet; & eò citiùs ſi humores acidos, vel aliô modô peccantes reperiat in corpore obvios. Hinc *Deckerus in notis ad Barbett. prax. p. 148. & 154.* In ſcorbuto antiſcorbuticos ſpiritus eidem admiſcet, veluti corrigendi animô, non longè abhinc citati autores exſiccantia vel adſtringentia videntur addere lacti. Et ſi lac, aut caſeus eſt ſuſpectus plurimis in calculo, cur in hoc affectu renum illud commendant? de qvo jam controverſias varias præterimus. Cui volupe eſt evolvat de lactis uſu in renum ulceribus, qvale ſcilicet, & qvando admittendum ſit, *Septal. Animadv. l. 7. §. 120.* Nobis, ſi in uſum advocandum eſt, præ crudo lac coctum placet, uti diximus, conſolidantibus, mundificantibus, vel leniter adſtringentibus ſimul additis, cum in hæmorrhagiis, ob dictas rationes, (& *Hippocratis* experientiæ forte non ignotas juxta *Sect. 5. Aph. 64.*) illud minùs conducibile arbitremur.

§. 78. De potûs copioſi, & vini præcipuè, noxa ſatis explicavimus mentem noſtram, cui tamen non fruſtra fortè addemus hæc pauca: videlicet merum ſangvine fluente noxium eſſe, inter alios ex *Petr. à Caſtro imbr. aur. p. m. 339. §. 404.* innoteſcit, qvi cenſet non eſſe illud dandum, niſi animi deliqvium accidat. Idem *Caſtr. l. a. p. 226. §. 271.* vinum nigrum minùs ciere fluxus, ut minùs penetrans, ſentit. Qvæ ſententia de frigore, aut vi ipſius adſtringente in plurimis veteribus & noſtris mulierculis egit radices. Verùm Logicæ inductionis exemplum forſitan etiam obtinet circa vinum iſtud rubrum, qvo dicitur, *omne vinum calefacit* &c. Prohibitum reperies vinum in curatione non contemnenda mictionis cruentæ ap. *Martinum obſ. med. 51. p. 28.* à multæ eruditionis *Velſchio edita.* Si itaqve conſvetudini indulgendum foret vinum, illud non niſi tenue, & cum martialibus, vel aliis adſtringentibus mixtum concedendum eſſe ſtatuerem. Ordinarius verò potus ſit minùs generoſus, vel fermentationi excitandæ aptus; ſed qvo ſimplicior eò melior, ita tamen, ut conſolidandi, incraſſandi vel adſtringendi habeat efficaciam, v. g. decoctum hordei vel orizæ, cum radici-

bus ſymphyti,alth.tormentill.vel biſtort.paratum; addi etiam poſſunt flor. papav.rhæad.bellid.roſar.rubr. pæon.C.C. item,terra ſigill. martialia, vel ejusmodi alia.

§. 79. De ſomni conditione præter hæc duo ſeqventia loca nihil ulterius addemus: *Somnus omnes ſiſtit fluxiones, præter ſudores*, inqvit, *Joubertus lib.3. pract.c.21.* Et teſte *Mercuriali l.1.de morb.puer.c.2.* ſomno cohibentur evacuationes. De qviete idem ferè eſto judicium, ac id qvod jam eſt abſolutum.

§. 80. Circa excrementorum alvi evacuationem monemus, eandem promovendam eſſe ſi perſiſtat, perſiſtere autem qvandoq; in hoc affectu & ſimilibus evacuationibus, certum eſt. Qvod idem ſtatuendum eſt de lympha vel ſero abundante, minusqve imminuto, vel evacuato in ſangvine, ſi ſcilicet illius copia non decreſcat lotiô excretô, vel ſudore aut aliis evacuationibus huic ſcopo ſatisfacientibus De reliqvis qvæ mictionem cruentam contrahere poſſunt, conſulantur remotæ cauſæ ſuperiùs adductæ, atqve devitentur.

§. 81. Plenô jam paſſu properamus ad curationem, qvæ juxta Indicationes, potiſſimùm cauſam proximam, vel maximè urgentem reſpicit; exterminare, itaqve eandem vel imminuere ſtatim conamur *venæ ſectione*, qvippe qvæ variæ indicationi ſatisfacit: Si ſcilicet revulſio reqviratur, aut abundet ſangvis (juxta *Sect.1.Aph.3.& Sect.2. Aph. 22.*) ſi rupta ſint vaſa, aut ex aliis partibus ad renes, & cætera loca propulſus ſit idem ſangvis porrò expellendus. Interea non approbamus eorum auſus, qvi omni molimine, per interna & externa, adſtringentia ſcilicet, & ſimilia exordiuntur curationem, poſthabitâ V.S. Monitis plenos reperies practicorum libros, qvi de hæmorrhagiis ſcripſerunt, ne ſpontaneos, periodicos, aut criticos fluxus ſangvinis deſubitò compeſcamus, utpote, qvos ſuppreſſos ſæpè Symptomata periculoſa ſecuta ſunt, nec priùs qvandoqve ceſſarunt, qvàm redirent iſti vel ſponte ſuâ, vel arte concitati. Qvemadmodum de narium agens hæmorrhagia benè monet *Benett. veſtibul.theatr.tabid. exercit.5.p.20.* &c. De malis item ex criticis ſuppreſſis pullulantibus lectu digna proſtant annotata in *Bauſchio de Hæmat. pag. 81. 22, 23 & 26.* Monita etiam hæc confirmata circa curationem mictionis cruentæ vid. *ap.Hoffmann.meth.med.l.1.c.19.p.354. Mœbium in fund. med. c. 17. p. 422.* & alios multos. Hiſce omnibus ſuam autoritatem neutiqvam derogamus, id ſolùm addentes & qværentes: utrum non ſit

*Morbo-*

*Morborum in vitio facilis medicina recenti?*
qvia juxta Poëtæ verba:
*Turpiùs ejicitur qvàm non admittitur hoſtis.*
Omninò autem invaleſcere hunc morbum haud raró ſinemus, ſi moras nectimus in curatione à V. S. incipienda. Periculum, qvod criticas evacuationes extra limites vagantes perſæpe ſecutum eſt, attigimus ſuperiùs ex *Bauſchio p. 80.* Ideoqve cum veſtigia iſta nos terreant, bono jure ſvadebimus V. S. qvamcunqve etiam agnoſcat cauſam iſta mictio, qvia hanc arte factam evacuationem pro lubitu inhibere poſſumus; negligendo autem hanc, ſi velimus ſolùm ſpectatores agere, facilè fiet, ut ſeramus ſpem & confidentiam, metamus verò poſtmodum tragicum fructum, qvi nos ſerò, *non putaſſem*, docet effari. Sed præter ſpem & expectationem materia noſtra accrevit, ideoqve deſino ex autoribus exſcribendo ſulcos longos ducere, circa V. S. cui ergò non eſt grave ſalubria monita de ſangvinis evacuationibus tractandis videat in *Caſtr. l. c. p. 304.* §. *224. &c.*

§. 82. Non erimus multùm ſolliciti circa venarum electionem, aut locum; interim cùm veteres rectitudini locorum magnam tribuerint efficaciam, facilè etiam citra conſcientiæ jacturam in eo lateris brachio ſecabimus venam conſpicuam, ubi renem putamus, vel concludimus, præ altero affectum. Svademus etiam ut iteratis vicibus inſtituatur ſangvinis miſſio, & continuetur majori confidentiâ, ſi ceſſaſſe obſervatus ſit mictus cruentus, prout unà judicium ſanum medici, & ægroti vires conſentiunt. Hoc ductu, præſervationis gratia monemus, commodè venæ ſectionem habere locum, ſi ſcilicet præſentiamus periodicam redituram ſangvinis mictionem, veluti *Schenck. l. 3. fol. 536.* meminit mictum ſangvinis ab hepate dimanante V. S ne ſublatum eſſe. De commendatâ hac ſangvinis miſſione loco præſervationis in vere inſtituenda *vid. Holler. de morb. int. l. 1. c. 52. p. 434.* & ipſius commentator non infelix *Duretus l. a. p. 437.* Prævertemus enim ita perbenè inviſam hanc mictionem, & accurati prudentisq; medici titulum tuebimur.

§. 83. Imò ſvadent dictam V. S. aliæ tutiores ſupervenientes evacuationes, veluti ſuperius de *hæmorrhoidibus* innuimus. Qvia etiam ex aliis ſangvinis rivulis, præcipuè hæmorrhoidibus ſuppreſſis obſervamus qvandoqve oriri *mictionem* iſtam, non incommodè ad has priores renovandas retrogradiemur. Congruenter verò hirudines

 appli-

applicantur Hæmorrhoidibus; *Lindenius in collegio ad Hartmanni prax. chym. c.152.* docet, ante hirudinum applicationem locum aqvâ dulcorata ſaccharô humectandum, vel leviter incidendum eſſe, ut ſangvinem guſtantes faciliùs adhæreant; pro removendis verò iisdem jubet *abſinthii aqvâ* vicinum locum circumcingere, qvòd iſtæ averſentur amara. Laudatus *Lindenius* (eleganti in diſputatione de *Hæmorrhoo Alcippo part.2. §.25.*) in hæmorrhoidibus ſuppreſſis contra Venetorum qvorundam medicorum ſententiam( qvi capitale cenſeant ferrô tangere venas iſtas) in tumentibus venis ſcarificationem faciendam eſſe cenſet, & qvidem binis aut ternis levibus plagis. De uſu defenſo hujus ſcarificationis, & qvando præ hirudinibus eligenda ſit iſta, ſi ſcilicet neceſſitas accelerare jubeat evacuationem, videatur citatus *Lindenius in loco allegato.*

§. 84. Alii forſitan in *mictione cruenta* ſvaderent *cucurbitulas* circa renum regionem applicatas, præcipuè ubi mali autores exiſtunt *renes* læſi; verum *Platerus in prax. tom 3. p.867.* rectè easdem à lumbis ad alias extremitates relegat.

§. 85. Atqve his abſolutis detegimus pharmaciam, circa qvam varia non temnenda paſſim reperies de hæmorrhagiis tractandis obſervata, qvæ nos non morantur in præſenti, non diſplicent inter alia ob cautelas bonas, collectanea *ap. Mollenbrocc. in medull. prax. cap. 62. pag. 465. &c.*

§. 86. Inter *univerſalia* ſolent aliàs *purgantia* commendari à practicis, qvæ verò ſi fortia ſint, non approbare conamur ob rationes ſuperiùs adductas. Interim leniora & laxantia ob neceſſitatem urgentem, non poſſumus aſpernari, cùm non raro alvus adſtricta coincidat cum *mictione cruenta.* Itaqve præſcribantur, qvæ leniter ſubducunt alvum, & adſtringunt parumper, ex myrobalanis, mechoacanna, rhabarb. roſis, violis, vel eligantur decocta laxantia in officinis præparata, qvibus appropriata vel malo ſpecifice convenientia commodè admiſcentur. Poſſemus varia *nephrocathartica* hoc in loco tradere, verùm cum in *mictione cruenta* non ita fidendum eſſe ipſis cenſeamus, non anxiè ſvadebimus iſthæc. Interim ſi uſus horum conducere credatur, mitiora pro re nata facilè concinnari poterunt ex *ſem. violar.* juxta dictum *Schröderi in Pharmac. l.2. c.54. p. 203. & l. 4. c.359. p. 174.* Proſtat catarcticum therebinthinatum *Mynſichti in arm. med. ſect. 14. pag. 248, 249.* Alia vide ibidem *in ſect 16. p.263.* Commendatur qvoqve a-

liàs

liàs Therebinthina cum rad. Glycyrrhizæ miſta. *Hœfer. l. c. lib.3. c.4. p.173.* therebinthinam cum Rha-Barbaro loco evacuantis medicamenti pro viis primis ſufficere ſtatuit; Interea forſitan non eſt irritum monitum Septalii, qvòd immaturum adſtringat, (*in Animadv. l. 7. §. 143.*) leviter toſtum vim majorem purgandi nanciſcatur, nimiùm autem toſtum vim purgandi planè deperdat juxta *l. a. §. 92. & 93.*

§. 87. Atqve ſi purgantia iſta locum vix invenire videantur, glandes, vel clyſteres facilè ſubſtituemus leviter adſtringentes aut conſolidantes, ex *Mynſicht. ſect. 31.* petendos. De qvantitate verò, & aliis notatu dignis circa horum clyſterum uſum in renum morbis legi meretur *Septalius l. c. lib. 3. §. 22.*

§. 88. *Vomitoria* non audemus cum qvibusdam admittere in noſtri affectus curatione, vel præſervatione, cùm periculô non videantur vacare. De *mictione* verò *cruenta* ex vomitu vid. *Schenck l. 3. f. 536.* Benè etiam arbitramur iſta repudiare in Nephritide, ob rationes non ſpernendas, *Duretum ap. Holler. de morb. intern. l. 1. c. 48. p. 411.*

§. 89. Inter *univerſalia* illa non benè etiam *diuretica* atqve ſudorifera, & curandi, & præſervandi ratione, adhibebimus, propter cauſas non obſcuras.

§. 90. Hiſce perluſtratis porrò curationem dirigimus ad cauſarum differentias: ſi itaqve ſangvis ſale volatili vel lixiviosô magis abundet, minùs ſvadeo *acida*, ſed potiùs *auſtera*, exſiccantia vel imbibentia, qvò ſalia iſta mitigentur & ſcaturigo obturetur. Atq; iſthæc medicamenta in *mictione cruenta*, oriundâ ab acido locum etiam habere arbitror, remotis ſalinis medicamentis acido aliàs oppoſitis.

§. 91. Benè item in acido peccante, adhibebimus qvæ oleô abundant blandô, v.g. amygdalas dulces, pineas, ſemina qvatuor frig. maj. & minora, & qvæ ſunt alia ejusmodi. Ex hiſce dictis, & unà additis aqvis refrigerantibus, conſolidantibus, & præparatis terræ generibus, lapidibus, aut ſimilibus appropriatis, loco lactis animalis, emulſio vel lac factitium præparari & propinari poteſt. Et ſi ſangvinem mingentes non verentur olearum uſum, olea ex dictis rebus, ſemine lini vel conſimilibus expreſſa non ſine ratione uſurpabunt, poſtqvam addiderunt terram ſigillatam Oc. Canc. bolum Armen. troch. Gordon. de ſpodio, de terr. ſigill. carabe &c. Oleô qvippe variæ intentioni

me-

medendi ſatisfaciemus, ſi fermentatio ſcilicet adſit in ſangvine, de qvo *Sylvius in prax.* videatur, & *Fracaſtor ap. Giſelerum obſervat. de peſte in præf.cit.* Infringit etiam iſtud acidum, venenis corroſivis injicit habenam, vel aliis rebus incautè aſſumtis vi cauſticâ nocentibus obſtat; conſolidant pingvia, atqve dolorem variaqve alia ſymptomata compeſcunt. Circa oleorum uſum moneo adhuc, qvòd ille melior forſitan reddatur, ſi leviter cocta priùs fuerint, pro evaporatione aqveæ, vel ad putredinem & rancorem inclinantis materiæ.

§. 92. Eò recidit etiam ſcopus medendi, ſi glutinoſa, viſcida vel mucilaginoſa adhibeantur, qvæ acidum iſtud, vel acredinem compedibus qvaſi coercebunt, fluxilem ſangvinem incraſſabunt, fermentationem cohibebunt, ſi qvid ruptum eſt, conſolidabunt, & dolorem mitigabunt. Ex dictorum verò claſſe ſunt: radic. altheæ, Symphyt. amylum, Sem. cydon. Pſyllii, lini, hordei &c. Gummi item Arab. tragacantha, vel ſimplicia hæc, vel qvæ ex iis compoſita ſunt medicamenta. Porrò animalium cornua & oſſa referenda ſunt ad dictam normam medendi v.g. C.C. Ebur & ſimilia, vel cruda vel philoſophicè præparata.

§. 93. Seqvuutur jam qvæ laxitatem vel ſolutam unitatem renum, aut aliarum partium ſangvinem fundentium concernunt, de ſublatione harum cauſarum loqvi videtur ita *Paracelſus l. 1. de Tart. tr. 3. cap 1.* *Ut urina*, inqvit, *fiat incarnativa, per ea qvæ habent vim ſalis in ſe cum incarnatione, ut ſunt potiſſimum thus, maſtix, mumia &c. agendum eſt.* Addimus his, qvod illud etiam poſſint peragere qvæ exſiccant, leviter adſtringunt, præcipitant humores, vel eosdem ſiſtunt, imbibunt, & qvæ ſunt plura illi fini deſtinata medicamenta: videlicet terra ſigill. bolus Armen. creta, mater perlar. conchil. corall. oc. canc. C.C. lapides pretioſ. oſſ. ſepiæ, unicornu foſſile, vel, qvod idem, oſteocolla, & ſimilia. Atqve hæc licet uſta ſint, non omni vi tamen deſtituta eſſe arbitramur; conſultum ſolùm ducimus, ut qvantum fieri poſſit, in forma ſicca aſſumantur iſta, v.g. in bolo, opiatâ, marmelada, pilulis, vel ſimilibus formulis, ne nimium diluantur ex additis liqvidis, atq; ſic iſta noſtra fruſtrentur intentionem, qvæ exſiccandi, adſtringendi vel præcipitandi vim in illis reqvirit. Qvemadmodum rectè videtur excipere ſedulus dexterq; *Zvvelferus in Apolog. contra Tacken. pag. 115. Tackenii verr. locus de C.C. uſto eſt in ipſius Hippocrat. Chym. p. 147.*

§. 94.

§. 94. Cæterum C. C. uſtum, uti in aliis hæmorrhagiis, ita etiam in hac *cruenta mictione* commendat *Agricola* de cervo *pag. 70. ad pag. 72.* Spodium vel Ebur non minùs laudatur ab aliis, hinc cur iſtud ſangvinem ex naribus fluentem ſiſtere feratur? qvæſtionem ventilat *Pictorius centur. 2. qvæſt. phyſ. pag. 84.* Celebrant alii uniconu foſſile pro hoc fluxu ſupprimendo, de qvo *Bauſchius de unicorn. p. 200.* & alii, Citatus curioſus Dn. *Bauſchius* multũ etiã tribuit lapidi *Hæmatitæ*, & medicamentis ex eodem paratis, pro renum vulneribus & ulceribus corrigendis atqve conſolidandis in *tract. de Hæmatit. pag. 126.* De ejusdem lapidis uſu in veſicæ affectibus vid. *l. a. p. 132.* Magni facit in *mictione cruenta* veretrum aut Priapum Cervi in △ plantag. propinatum, *Fuchſius de compoſ. med. l. 1. c. 15.* De rubrica Lemnia qvod ſingulariter à mictione cruenta, qvam caſus excitaverat, ſublevârit hominem vid. *Alexand. Bened. in prax. l. 22. c. 26.* Porrò in hoc affectu ſpecies diaplantaginis, ſem. Plantag. aut acetoſæ ℨj pro doſi in vehiculo ſingulariter deprædicat *Grüling. cent: 2. obſ. 57.* Agrimoniam, qvinqve folium, & potentillam commendant cum Hartmanno (*prax. chym. l. 2. cap. 201.*) commentatores ipſius, *Lindenius*, & *D. Michaëlis* in collegiis communicatis. Tincturam corall. inveteratum iſtud malum ſæpè curâſſe teſtatur *Hartman. l. a.* Syrupum corall. Qverc. prodeſſe itidem dicit celeberrimus *D. Michaelis.* Aqvam nucamentorum ſalicis cum ſaccharo roſato paratam pro julapio extollit *Duretus apud Holler. de morb. intern. lib. 1. cap. 52. pag. 457.* Cui adde, ex ſalice contra fluxum ſangvinis in *Cumani. Obſerv. medic. 37. pag. 61.* Aliud *julapium Alexandrinum* dictum, atqve in *mictione cruenta* inter alia proficuum, & qvidem ubi reperiatur hujus deſcriptio vid. *in obſerv. Martu. 51. pag. 27.* à clariſſimo Velſchio communicata. Cujus celeberrimi *Velſchii* ſcripta doctiſſima (qvadantenus promiſſa in tractatu obſervationum edito) eôdem deſideriô expecto, atqve efflagito, qvô recordor eundem *Rolfincii*, aliorumve obſervationes, caſus, vel curationes ante aliqvot annos in præfatione illius operis expetiviſſe. Enumeratis illis medicamentis plurimi ex modernis Medicis accenſent, & cum fide teſtantur prodeſſe Tinct. ♀ ⊕, de cujus effectu in

F *mictio-*

*mictione cruenta* vid. *in Colleg. Academ. nat. curioſ. ann. primi obſ. 88.*

§. 95. Hæc fuerunt interna medicamenta ſelecta in mictu cruenta probata, qvibus facilè poſſemus aliàs formulas non paucas annectere, niſi tædium crederemus ex recenſione prolixiori futurum, ſi verò ejusmodi medicamenta compoſita qvis deſideret, adeat ſeqventes practicos, qvi mihi benè de mictionis cruentæ curatione videntur agere, ſcilicet Hollerium, Platerum, Fiſcherum, Riverium, Timæum, Hoffmannum, Hartmannum, Joëlem, Sennertum & alios.

§. 96. Non ero prolixus in externis exſcribendis vel præſcribendis medicamentis, cum facilè illa parari poſſint; de hujuscemodi nonnullis conſulatur *Bauſch. in tract. citato de Hæmat. Doctor Michaëlis in Collegio allegato ad Hartmannum*, præſcribit ſacculum ex adſtringentibus rebus, qvem in aqva ferrariorum madefactum renum regioni applicare docet.

§. 97. Fotus vel Balnea non audemus commendare, præcipuè ſi rebus calidis & in locis calidis illa inſtituta qviſpiam velit. Non infreqvens eſt vulgi curatio in hæmorrhagiis narium præprimis, qvòd in aqvam frigidam immittant partem affectam, ſed ni fallor hæc cura non omnibus arridet, propter incommoda, qvæ qvandoqve inducit iſta. Admittit hocce remedium in omni hæmorrhagia, niſi in pectore fuerit orta, *Septal. l. c. lib. 3. §. 41.* Laudat aliàs in hæmorrhagiis frigidum aërem, ſi ad partem affectam admittatur *Hippocrat. Sect. 5. Aph. 23.* Sunt etiam medici, qvi potum aqvæ gelidæ vel decoctum pentaphylli frigidiſſimum in ſangvinis copioſo fluxu commendant. Sed qvilibet in ejusmodi frigidorum applicatione cautè verſabitur, & rationem omnium circumſtantiarum habebit, meditans unà illud, num in extremis morbis extrema remedia (*juxta ſ. 1. Aph. 6.*) ſemper poſſimus præſcribere? cùm ad iſta, & ſimilia in extremis hæmorrhagiis perſæpè confugiant Medici. Interea de frigidis qvid ſit ſentiendum in Hæmorrhagiis vid. *Hildan. cent. 6. obſ. 2. fol. 347.*

§. 98.

§. 98. Svaderent forſitan qvidam in ulcere vulnere vel vaſis ruptis veſicæ injectiones liqvorum per urethram, ſed has ob mala in maribus præcipuè metuenda, cautè adhibendas *cum Platero pr. tr. 3. p. 862.* cenſemus. Si itaqve veſica vel aliæ vicinæ ejus partes ſint læſæ, commodè etiam alia tutiora, paulò ante tradita interna aut externa uſurpabimus.

§. 99. Hæc fuerunt, qvæ *mictionis cruentæ* cauſis crebriùs occurentibus opponenda eſſe duximus; minùs freqventes cauſas qvasdam adhuc breviter perluſtrabimus, cùm ſæpè ſub aliorum morborum cenſum etiam cadant, atqve ſic ex locis ſuis propriis à practicis tractari poſſint ac debeant.

§. 100. Æqvum igitur eſt, ut *mictio cruenta*, qvæ lui venereæ ſuam debet originem, iis medicamentis tollatur, qvæ reqvirit aliàs iſte morbus pertinax. Qvamvis etiam in iisdem medicamentis interdum locum inveniant mictui cruento dicata & à nobis tradita, potiſſimùm tamen corporis totius infecti ratio habenda eſt, curis illis uſitatis atqve notis, admiſſis.

§. 101. Non morantur nos aliæ partes, qvæ ſangvinem vel pus per urinarias vias ejaculantur, qvarum partium læſarum cognitio ex locis practicis petenda, atqve huic juxta legitimam methodum deinde curatio annectenda eſt. Si qvis interea credat epar, vel lienem qvandoqve affectum, regioni externæ confortantia vel adſtringentia applicare poterit, atqve hanc ob curationem non puto cum eodem medicos modernos acerbè dimicaturos eſſe.

§. 302, Porrò ſi malo iſti anſam dederint *Cantharides*, venena, vel alia cauſtica aſſumta, non ignota ſunt remedia, qvæ paſſim autores de venenis agentes, iisdem opponunt. Tædioſum iſtorum catalogum hoc in loco tradere ſuperſedemus, ſolùm id addentes, qvod iſthæc optimè doment vel infringant oleoſa vel pingvia, largâ qvantitate ſumta. Qvo fiet, ut ſi ſtatim poſt illorum uſum ſumantur, vomitu rejiciantur iſta rodentia, & viæ immunes reddantur à roſione aliàs futura. Parum interim fiduciæ venenis occultô modô agentibus, vel his ſpecificè oppo-

ſitis medicamentis tribuo, ceu qvidem veteres illis in utroqve gratificati ſunt.

§. 103. Nolumus itidem eſſe prolixi in conſideratione *mictionis cruentæ* à calculo, qvamvis hujus curatio periculô non careat, & medentes ambiguos reddat, qvid ſcilicet ſint auſuri: ſi enim calculum conabuntur propellere Lithontripticis, parti vulneratæ non opitulabuntur; & ſi laceratæ parti ſubvenient adſtringentibus vel conſolidantibus, qvomodo cauſa removebitur? Utra ergò harum curationum ſit eligenda, conſiderabit prudens medicus, aut neutram ex his amplectetur, naturæ committens negotium, ne poſtmodum malum auxiſſe videatur, ſi ejusmodi curam amplexus ſit.

§. 104. Præterea ſi à vermibus præſumamus mictionis ortum dependere, nota ἐλμινθαγώγα dicta rectè præſcribemus, & qvidem iſthæc optime petentur ex oleis, ita ut vel in ſubſtantia, vel cum aliis compoſita aſſumantur. Recordor mirari *Camerarium* (*in ſyllog. memor. cent. 12. part. 90.*) cur avellanarum oleum præcipuè ſit vermes pellens medicamentum? Nobis non licet jam excurrere in qvæſitû de cauſa, & hujus & aliorum oleorum, dicta, unicum adhuc id ex *Septalio* (*Animadv. l. 3. §. 30.*) appono, qvod pro lumbricis necandus locô olei butyrum malit clyſteribus admiſceri, cùm ex iſtô additô ſurſum repant vermes. Atqve cùm alias medicamenta ex therebinthina parata renibus aſſignentur à medicis, non poſſum non modicam portionem illius admittere, pro vermibus hiſce & lumbricis pellendis. Non incongruum etiam videtur illud hoc loco adhibendum, qvod alias pro lumbricis exſtirpandis ex ♁ martis commendat *Timæus l. 6. Epiſt. 2. pag. 393.* Benè tandè vermibus pellendis, renibus conſolidandis, aut mundificandis inſervient medicamenta ex *Hyperico* deſumta, de laude Hyperici pro ſcopo priori facientis vid. *Bartholin. Act. med. & phil. 40. p. 74.* Elegans itaqve formula ex olei therebinthinæ paucis guttis, extracto Hyperici & illo medicamento Timæi, meô judiciô, fieret, & in horum & in aliorum vermium expulſione proficuum.

§. 105. Hactenus propoſuimus ea, qvæ ad cauſas potiſſimas pertinere viſa ſunt; ſi verò præter dicta, alia qvoqve incidunt, qvæ

 mictum

mictum iſtum interdum promovent, facile iſtis occurremus ad normam aut analogiam eorum, qvæ jam à nobis tradita ſunt; vel ad practicos, & certas ab iis tractatorum affectuum ſimilium claſſes recurremus, conſilia inde petituri.

§. 106. Æqvum forſitan foret ut etiam ſymptomata attingeremus, cùm ex regulis medendi novimus, qvandoqve ad morbi cauſam non ita attendendum eſſe, qvàm ad ſymptoma, ſi qvod gravius urgeat. Ad vires itaqve potiſſimum reſpiciendum (ſi ſymptomata illas nutare indicent) ne collabaſcant; qvod futurum omninò eſt, ſi torrens iſte cruentus inhiberi non poſſit. Miſcenda itaqve ſunt illis dictis medicamentis, & potiſſimùm emulſionibus, ſpiritus, aqvæ compoſitæ reficientes, vel alia qvæ tùm externè tùm internè vires ſuffulcire novimus. Placent ex ſpiritibus ſpir. Cydon. Roſar. Meliſſ. Ceraſ. Lil. convall. Pomor. Borſtorff. Rub. Idæi, Fragor. & qvæ ſunt hujus cenſus alia. Sed pauca qvantitas ſpirituoſorum dictorum locum inveniet in ſangvinis mictu curando, ob cautiones non obſcuras.

§. 107. Deniqve unicum *adhuc ſymptoma* loco omnium aliorum vel morborum mictionem cruentam concomitantium vel ſeqventium, brevibus attingemus, ſcilicet *ſangvinem congrumatum*, atqve inde oriunda mala, videlicet Iſchuriam, ſtranguriam & ſimiles affectus. Si itaqve in grumos abeat ſangvis in veſica, vel oppilet iſte ureteres aut alios ductus urinæ excernendæ dicatos, periculum vel interitus umbræ inſtar illi adhæret morbo. Æqvè enim difficilis curationis ſtatus hîc pronunciandus eſt, qvam iſte in calculo non longè ante hæc annotatus; Incidemus qvippe in ſcyllam dum charybdim evitare ſtudebimus. Namqve fortia incidentia, penetrantia, & expellentia pro deſtruendo ſangvine congrumato reqviſita concitabunt potiùs, qvàm compeſcent malum, uti facilè hoc præſumendum eſt de calaminthâ, artemiſia, ſem. raphani, Stæchade, oxymel. & ſimilibus. Mitius medicamentum videtur illud *Heurnii in comment. ad ſect. 7. Aph. 39.* Commendat autem vitrum vicies uſtum ac in therebinthina extinctum, inqve potu datum. Mirificam licet multi *ſpermati ceti* aſſignent vim ſolvendi congrumatum ſangvinem, vix tamen mihi perſvadere poſſum hos effectus ab eô, vel aliô qvovis pingvi expectatum iri, utut laudet di-

 ctum

ctum ſperma ceti *Timæus l. 4. caſ. 30. p. 230.* Benè tamen ratione præſervationis illud ſperma vel pingvia præſtare arbitror, cujus in gratiam videatur Schorer *medic. peregrinant. p. 170.* Malè qvoq; in ſangvine congrumato, ubi venæ ſunt ruptæ vel corroſæ, ſalina vel acida commendantur, cùm cauſa illius antecedens magis promoveatur iisdem. Qvemadmodum rectè circa aceti uſum à qvibusdam laudatum in *Hæmoptyſi* pro congrumato ſangvine ſolvendo, monet *Septal. l. a. lib. 6.* §. *159.* Annecto ejusdem autoris ſententiæ, qvod vix etiam conducat acetum ab eodem eatenus admiſſum, qvatenus mel vel ſaccharum ipſi additum eſt, rationes noſtras in ſuperioribus de ſaccharo declaratas denuò hoc in loco repetere non volumus.

§. 108. Sed illis internis acribus tutiora videntur externa, qvem in finem Raphanus à *Platero* (*prax. tract. 3. p. 869.*) commendatur. Iſtum verò puto meliori ratione inferioribus abdominis & ſcroti regioni imponi, ſi vel contuſus vel in orbes priùs iſte redactus ſit. Balnea itidem egregiè proderunt calida, idqve præſtabunt eò magis, ſi herbæ vel alia emollientia, & qvæ creduntur ſangvini ſolvendo præeſſe, pro iisdem conficiendis aſſumantur; Solùm autem ad partis affectæ, ſcilicet veſicæ regionem admittantur dicta balnea, ſi ſtagnet intus ſangvis à renibus præcipuè appulſus: reminiſcimur enim in ſuperioribus non ſine ratione calida balnea nos denegaſſe *mictu cruentô* laborantibus. De cura mali à ſangvinis grumis orti, ita ſtatuit *Hollerius & Duretus de morb. int. libr. 1. cap. 52. ubi*, inqvit, *grumeſcit ſangvis, ſummum eſt periculum, & ſi incidentibus medicamentis non ceſſerit, inciſô perinæo, molienda curatio eſt, ad vitandam corruptionem & mortem.* Moneo circa hanc chirurgicam operationem, periculum non abeſſe; dubium enim oritur num non novus ex partibus læſis fluxurus ſit ſangvis ad veſicam, qvod ſi futurum eſt, afflicto addemus afflictionem, periculosô iſtô medendi negociô. Non ſanè ab eorum partibus facilè ſtarem qvi ad illam curationem chirurgicam in dicto ſymptomate, ſeſe accingunt, licet iſtam approbare videantur. *ſect. 1. Aph. 6. & ſect. 8. Aph. 6.* Illi itaqve morbô iſtô detenti (qvi miſerere mei jure dici poſſet) prognoſi additâ, DEO ſunt committendi, qvia incorrigibili malo immerſi eſſe videntur, ob ratio-

nes

nes ex *ſect. 6. Aph. 38.* petendas. Non tamen ſtatuimus planè medicamenta interna aut topica ipſis afflictis eſſe deroganda vel deneganda, ne gratioſi medici titulum aut naturam exuamus, in eorum ſententiam abeuntes, qvi deſperatos morbos, deſerendos eſſe malè conſulunt.

§. 109. Claudimus jam hoſce rivos, de *ſangvineo* iſto *rivo* ac periculoſo morbo, plus juſto forſitan diffuſos; benè interea interpretabitur B. L. allegata noſtra vel exempla ex autoribus adducta, perpendens illud *Petri à Caſtro imbr. aur. p. m. 201.* §. *141. qvòd medica praxis meliùs doceatur per exempla qvàm per capita morborum.* DEO itaqve ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, in cujus filii, ſcilicet JESU CHRISTI nomine, ceu exorſi ſumus, huic exercitio imponimus

# FINEM.